15 Dw
43E43 | B

Philipp Jacob Jungh. Medicinæ Doctor. Pragæ 1804.

D. CHRISTIANI TOB. EPHRAIM
REINHARDI
PHYSICI APVD SAGANOS

MEDICVS POETA.

PARS PRIMA,

EXHIBENS

DE

LEVCORRHOEA, SEV FLVORE ALBO
MVLIERVM BENIGNO,

PALLORE FACIEI,

ET

LETHALITATE VVLNERVM IECINORIS,

CARMINA TRIA.

PRAEFATVR

DE

POETIS MEDICIS

COMMENTATIVNCVLA.

GLOGOVIAE,
SVMTIBVS CHRISTIANI FRIDERICI GVNTHERI.
1762.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

AD LECTOREM RELIGIOSVM.

Res phyſicas tracto phyſicus, medicasque perinde
Vt medicus, verſuque ſimul comprendo poëta.
Relligio interea mihi non perſtringitur vlla,
Nec falcem curae eſt, alienae immittere meſſi.
Vltra ne crepidam ſutor. Nam non ego manes
Atque animas tracto, ſed corpora. Quod Medicorum eſt,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

HORAT. *Libr. II. Epiſt. I.*

SERENISSIMO

PRINCIPI, ET DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO CHRISTIANO,

REGIS POLONIARVM PRINCIPI, DVCI SAXONIAE,

ET ELECTORATVS HEREDI, ELEPHANTIS,

S. S. ANDREAE ET IANVARII,

NEC NON

CATHARINAE, ORDINVM

EQVITI.

PRINCIPI SVO OPTVMO

ET

DOMINO CLEMENTISSIMO

SALVTEM ET FELICITATEM

EX

PIO ANIMO

ADPRECATVR

HVMILLIMVS

CHRISTIANVS TOBIAS EPHRAIM REINHARD,

CAMENTIANVS.

PRINCEPS SVMME!

Atauis Heroibus Edite, Regum
Sanguine Nate, Decus Patriae, Populique Voluptas,
Inter et Arcadicos Paſtores Gloria prima,
LVSATI DVX, *et Muſarum Maxime* PRAESES
Praeſidiumque meum, quid poſces, vt TIBI *ſumma*
Pauperies ferat ingenii? quid denique poſces?
Naturam ex terra craſſa finxiſſe nouercam
Memet, conuincor, nec me pudet hocce fateri.
Sic non iuniperus proferre ſcit aurea poma,
Suauia, et olfactu, et guſtu gratiſſima; Viles
Sed modo baccarum fructus largitur: At, iſtis
Fructibus eſſe ſolet ſua gratia, certaque virtus.

Vilia ſaepe iuuant Heroas munera; Summis
Principibusque placent; quare CELSISSIME PRINCEPS,
Deliciae Gentis, ne dedignare Camoenam,
Quam deuota TIBI *ſacram reuerentia fecit:*
Ne TIBI *diſpliceant, quae pauper ſpargit in ignem*
Grana ſalis, cum mente pia, pro PRINCIPIS *alma*
Proſperitate SVI. *Sic* TE, CELSISSIME PRINCEPS,
Vota mori deuota vetant mea, vertice RVTAM
Aſtra ferire iubent, ſublimi, in ſera Nepotum
Tempora florentem, et diuinum Stemma manebit
Sanctum SAXONIAE *nomen durabit, et vſque*
Ad Mundi lapſus erit indelebile.

DIXI.

DE

POETIS MEDICIS
COMMENTATIVNCVLA.

C. Magnum licet prouentum Poëtarum Medicorum noſtra protulerit aetas, ex quibus honoris gratia, *Halleros, Hebenſtreitios, Trilleros, Tralleſios, Kubitios*que nomino; ego tamen carmina mea Phyſico-Medica, cum orbe literato communicare, et tanquam vt ſtridulus anſer, olores interſtrepere, omni depoſito pudore, nullus erubui, paucaque, quanta quidem fieri poterit breuitate, de *Poëtis Medicis* praefari, apud animum conſtitui, vt etiam aliquid in medium protuliſſe, viderer.

In primis temporibus Medicinam ſolummodo penes Poëtas fuiſſe, illosque incantamentis in numeros redactis, morborum curationem ſuſcepiſſe, memoriae proditum, in Praeceptoris optimi *Io. Henr. Schulze* compendio hiſtoriae medicinae, inuenimus. Remediorum generibus enim, ad morbos profligandos opportunis deſtituti, id carminibus tentabant, quod auxiliis medicis efficere conſueſcunt medici, recentioris ſeculi.

Appri-

Apprime doctis Medicis aeque ac Poëtis divini multum ineſſe, *Hippocrates Cous* pronunciat, et *Ouidius* a), *Tibullus*que b) accinunt. At, veritatem effati tantorum Teſtium, nemo niſi barbara gens inficias ire audebit. Scire enim licet: in omnibus hominibus diuini quid latere, quod in plurimis ſuperſtitione, praeiudiciisque ob nubilatum deprehendimus, quia iſta impedimenta, quibus diuinum illud ſufflaminatur, mortales ad abſurda maxime procliues, Philoſophiae beneficio remouere, non allaborant.

a) Vatibus aoniis faciles eſtote puellae!
Numen ineſt illis, Pieridesque fauent.

b) Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Sedibus aethereis ſpiritus iſte venit.

Absque vera Philoſophia neque Poëtae, neque Medici dicuntur. Illa enim quum doceat naturam, illiusque cauſſas, quarum omnium rerum cognitione et Poëtae et Medici nunquam carere poſſunt; quia, vt vtrumque genus hominum naturam ſequatur et imitetur, neceſſe eſt: ita ſine praeuia rei imitandae cognitione, imitationem nullam dari, quis neſciat?

Quum itaque Philoſophia idonea ſit, praeiudicia et ſuperſtitiones, quibus profanum vulgus ſeducitur, implicatur, et irretitur, menti noſtrae eripere, animumque ſanioribus principiis imbuere, accidit omnino, vt reiectis illis obſtaculorum generibus, diuinum illud intra nos hoſpitans, magis magisque ſeſe exſerere poſſit, omnimodam rudioribus iniiciens admirationem.

Et Poëtas et Medicos vaticinantes deſinas mirari. Obſidionem et ruinam Parthenopoli futuram centum annos ante praedixit in Elegiis *Petrus Lottichius* cognomine ſecundus, Medicus et Poëta c). Et peſtem futuram ſub auctumni tempus anno Salutis CIↃ IↃ XXXXVII Tridenti ex aſtrorum coniunctione annunciauit *Hieronymus Fracaſtorius*, Medicus et Poëta d). Medicina autem et vaticinatio valde cognatae ſunt, diuus inquit *Hippocrates* e). Vaticinatio enim, quum ſit rei futurae praedictio, vt rerum et cauſarum prius in mente exiſtat profunda et exacta cognitio, cuius ope, futuras mutationes ex hac vel illa cauſſa euenientes praeſcire oportet, requiritur. Sic Medici, dum anni tempeſtatem curatius obſeruant, ex illius praeſenti conſtitutione, hunc vel illum morbum praeſagiunt futurum:

Sic

Sic ex praeſenti morbo, cognitis prius illius cauſſis, vel ſalutarem, vel funeſtum ominantur euentum [f]).

c) Libr. II. Eleg. IIII. p. m. 45.
d) De Hieronymi Fracaſtorii vita, fatis, moribus, meritis et ſcriptis commentariolum.
e) In Epiſtola XVII. pag. m. 781.
f) Hippocrates medicus, vates praedicit Homerus:
Hinc medicus, vatesque, eſſe propheta ſolet.
Inter vtrumque datur diſcrimen tale: Propheta
Cous erat diues, pauper Homerus erat.

At, illa praeſcientia a rerum cognitione profecta, et ſaniore Philoſophia enutrita, diuinum illud dicitur, quod nobis ineſſe, nosque a vulgo rudi diſcernere conſueſcit. Medicum enim philoſophum, Deo aequalem pronunciat, diuus *Senex* [g]).

g) In libro de ornatu Medici.

Quum itaque conſtet, Poëtas aeque ac Medicos tanquam naturae imitatores facultate diuinandi valere, facile intelligitur, quod non alienum ſit, Poëſin in Medicinam, et eandem in Poëſin transferre. Ipſe ego, deliciis et vix reprehendendo amore erga Muſas captus, his meis leuioribus tenuioris ingenii auſibus, Medicinam Poëſi comprehendere, eamque iſti aſſociare, eo, quo potui improbo labore anniſus ſum. Hinc nihil magis tam anxie anhelo, quam vt, ſi non prodeſſe potero, Lectoribus tamen delectando placerem, at, forſan mihi nil, niſi vota ſupererunt.

EPIGRAMMA IN MEDICOS.

Vulgus ait: medicos mendaces eſſe Prophetas,
Quorum eſſet verbis non adhibenda fides.
Namque ſolent aliis longam promittere vitam a),
Quam ſeruare tamen non didicere ſibi.
Aſt, alii, medicos Phariſaeos eſſe, fatentur b),
Qui conſueuerunt dicere, non facere c).
Eſſe tamen medicos prognatos ſtemmate, credo
Qui modo promittunt, ſed dare pauca ſolent d).
Erro lubens, medici promittunt non modo, verum,
Dant etiam, vt redeat demta ſalus, Recipe e).

a) Vt alimenta ſanis corporibus agricultura, ſic ſanitatem aegris medicina promittit. CELSVS libr. I. in praefatione.
Scilicet, vtilium medicina ſcientia rerum
Promittit, quam ſaepe nequit ſeruare, ſalutem.
HEBENSTREIT in carmine.

b) De antiqua medicina:
Multa vetant medici, ceu ſanae noxia vitae;
Hunc piſcem, has carnes, haec fuge vina. Logi:
Dicunt, non faciunt: monitor bibit, ac edit omne;
Quodque aliis vetuit, non vetat ipſe ſibi.
Fercula nulla timet, quae dat mare, terra, vel aër:
Bacchi vel Cereris pocula nulla timet.
Sic quum non faciant Medici, quae plurima dicunt,
Nonne Phariſaeos dicere iure licet.
BERNARDI BAVHVSII e. S. I. epigram. libr. IV. pag. m. 83.

c) Matth. Cap. 23.

d) Quod Medicorum eſt
Promittunt Medici. HORAT. Libr. II. epiſt. 1.

e) Accipit oblatum Medicus, dare non ſolet aurum:
Pharmaca dat Medicus, non ſolet accipere.

DE
LEVCORRHOEA
SEV
FLVORE ALBO BENIGNO
MVLIERVM
CARMEN.

EPIGRAMMA.

Femina tota fluit, medici concurrite! fluxu
Ne pereat, quoniam fluxus obeſſe nocet.
Fallor, an exiſtat rimarum femina plena?
Nequaquam ſuccos dum retinere queat.
Ne quid deponas, et in huc, illucque fluentem,
Ne ſimul id pereat, diffluat, atque cadat!

PRAEFAMEN.

Nymphae, quae colitis ſalientia flumina, vati
Qui canit *albentes fluuios*, eſtote benignae!
Adſpirate meis coeptis, concedite venam,
Verſiculi tenues vt currant, fluminis inſtar!

Innumeris morbis, nam morbus femina tota eſt,
Subcumbit ſexus ſequior, variisque moleſtis
Subpreſſus ſymptomatibus gemit. At, libet omnes
Morbos non proferre, quibus tanguntur amandae
Femellae. Foret illud enim, plane foret, inquam,
Contra propoſitum, quem nullo laedere pacto
Conſtitui. Solum modo pertractabo *fluorem,*
Qui Medicis audit, *qui Leucorrhoea* vocatur.

At, Te ſcire prius, doctiſſime Lector, oportet,
Quod non conueniens ſit nomen carminis iſtis
Verſibus incomtis. His eſt modo forma, character
Sed genuinus abeſt. Meditatio, mente carenti
Non eſt abſimilis picturae. Nil tua refert,
Lector, an in numeros certos, ſit noſtra redacta
Siue metro careat, tractatio, dummodo poſſit
Vtilis eſſe tibi, iucundaque ſit tibi lectu.
Vtile cum dulci quoniam miſcere laboro,
Indulgere ſpei ſoleo certae, fore, nempe,
Vt minime fugias, partim experientia, partim
Scribere, quae ratio iubet, obſeruata *benigni*
Albi profluuii, quod Leucorrhoea vocatur.

Expediam breuiter, quid ſit *fluor iſte benignus*,
Signa dabo, quibus *hic* ſeſe manifeſtet, et omnes
Commemorabo mali ſpecies, quas gignere ſueſcat,
Tandem proponam methodum, qua *fluxio talis*
Debeat auferri, tradam medicamina, quorum
Vſu legitimo ſanari *fluxio* poſſit.

Eſt, fluxiſſe quidem naturae lege, ſalubre:
Nata tamen praeter naturam fluxio, morbum
Indicat ex fibris multum languentibus ortum.
Non licet ipſe negem, quod fluxus poſſit oriri,
Sanguinis ob cumulum, quo, ſcimus vaſcula pandi
Sic, vt transſudare cruor per aperta pororum
Oſcula vaſorum queat, vdus vt e cute ſudor:
Aut acri ex ſucco, rodenteque vaſcula ſic, vt
Iſtis disruptis, rubicundus profluat humor.
Non ego ſanguineos fluxus hoc carmine ſtringam,
Sed modo *lymphalem, qui* ſtillat ab inguine; quare,
Nymphae leucoreae, faciles eſtote, canenti.

DE

LEVCORRHOEA

SEV

FLVORE ALBO BENIGNO MVLIERVM

CARMEN.

I.

Albam, mucoſam ſi naturalia fundunt
Materiam crebris vicibus, ſtatus hic, *Fluor albus*,
Dicitur a Medicis. Solet *hic* contingere propter
Laxatas fibras, ex queîs componitur ipſa
Matricis vagina. *Benignus* enim *fluor* audit,
Ignarus quoniam vitii eſt, quo Syphilis illa [a])
Et ſcatet, et rodit foetente miaſmate partes.

a) HIERONYMI FRACASTORII SYPHILIDIS libri tres.

II.

Conſtituit ceruix vteri, vaginaque ſedem
Fixam *profluuiis*, praebetque *fluoribus iſtis*
Albis, praecipue, pars obſita glandibus harum,
Nec non innumeris vaſis pertexta tenellis.

III.

Quod ſi ceruicem ſuccorum copia maior
Irruat, ac tenerae fibrae propellere poſſunt,
Fibrae diſcedent, ſurgetque cohaeſio rara:
Quare viſcidulum tunc transſudare liquorem
Scimus, qui tandem venientibus vſque nouellis
Augetur ſuccis. Calor aduenit, et mora, ſucci
Queis inſpiſſantur cumulati, glutinis inſtar.
Ob nimiam longamque moram, nimiumque calorem,

Acres euadunt, nec non lentore tenaces
Humores. Acres facti perrodere tentant
Fibrillas vteri: Mala plurima, cancer, et vlcus,
Proueniunt, nec non propullulat hectica tabes.

IIII.

Quod fibras laxat, valet *album* gignere *fluxum.*
Illas debilitat cauſſarum magna caterua:
Inter quas regnat diſtendens, ſanguis abundans,
Vaſcula, qui vaſis virtutem ſubtrahit omnem,
Haec vt non apte ſuccos propellere poſſint.
Multa quies, multus ſomnus, nimiusque reſoluunt
Vsque tonum vaſis. Accedens lauta diaeta,
Et potus parcus ſine motu corporis, illum
Tollunt, adfectus animi praeſtare valebunt
Semper idem. Fibras udum conclaue relaxat,
Inque locis madidis habitatio, ſtagnaque circa
Et fluuios, aut in regionibus, humidus aër,
Quas alit, aut quas exercet pluuioſior aura,
Deprauare tonum, nec non peſſumdare pollet
Fibras. Sed cauſſas modo quis numerare valeret
Omnes, queis tonus in fibris langueſcere ſueſcit.

V.

Sanguine femellis turgentibus accidit, atque
Phlegmaticis expers labis *fluor* atque *benignus,*
Quando legitime menſes ſtillare recuſant,
Aut in queis ceſſare ſolent catamenia plane,
Illo tentantur. Perpeſſae frigus in ipſo
Lunari fluxu, nec non moerore diurno
Vexatae, pariter commotae ſaepius ira,
Corripiuntur, *eo.* Manesque ſuos ſine potu,
Ceu genus aligerum, quod roſtris gaudet aduncis,
Vitam viuentes, patiuntur, *eo*que laborant.
Hoc, indulgentes veneri ſine lege tenentur:
Namque frequens coitus vaginam laxat, at illa
Languida facta nimis, neſcit retinere liquorem,
Qui ſcit vaginam cum lubricitate beare:

Vnde

Vnde ſit, vt lentus deſtillet ab inguine mucus,
Perpetuo ſqualore ſuo genitalia foedans.

VI.

Ille maritatis, viduis, iunioribus, atque
Virginibus teneris, et adultis parcere neſcit:
Immunes vtero praegnantes linquere nonuult,
Lactantes ſinit haud intactas, *hic fluor albus*.

VII.

Si lactans fuerit correpta *fluore benigno*,
Tabidus euadet lactens, ac atrophus, vt ſic
Incuruans ſpinas, et torquens membra Rachitis
Accedat, medicas eludens ſaepius artes,
Prodit concutiens conuulſio corporis artus,
Infantes hinc de mammis disiungere, praeſtat.

VIII.

Noui femellam iuniorem, quam *fluor albus*
Inter lactandum multumque diuque trahebat.
Partus enixos diuerſo tempore binos
Haec dum lactabat, teneros conuulſio ſemper
Infantes male habebat. Sed quum femina mammas
Illis ſubtraheret, morbus linquebat eosdem.
Demum praegnanti ſuadebant arte periti,
Vt daret infantem nutrici: Femina dictis
Parebat, nec eam, nam faſſae credere, fas eſt,
Facti poenituit. Sic non epilepſia corpus,
Tentauit teneri, ſed vixit liber ab illa.
Acre ſerum a teneris, non lac hauritur: At illud
Dum ſtimulat neruos, quibus inteſtina creator
Inſtruxit ſapiens, fit ſpaſmus, corporis artus
Conuellens, qui dum per quaeuis membra vagatur,
Audet neruorum thalamos inuadere: quare
Motus eueniunt, quos non valet ipſa voluntas
Siſtere; nam tunc non animae datur vlla poteſtas,
Absque voluntatis iuſſu, mentisque ſagacis
Os ſpumas, anus faeces, veſicaque fundunt

 Lotia,

Lotia, mox huc, mox illuc caput vſque mouetur,
Os diſtorquetur, torquentur lumina, pollex
Arcte comprimitur, manus et conuellitur, et pes.
En! quale inducant irritamenta, periclum,
Quae ſtimulare ſua, neruos acredine ſueſcunt.

VIIII.

Prouenit *iſte fluor* finitis menſibus, atque
In ſucci plenis horum vice fungitur, *ille*
Dum ſubplet menſes, decreſcit ſanguis abundans
Mole grauans corpus, qui quum remaneret, obeſſet
Inferretque malum graue peſſumdando ſalutem.
Attamen in multis menſes praecedit, eosque
Albus ſaepe *fluor* comitatur, vt *hic* fluat unâ
Menſibus admiſtus rubicundis *candidus humor.*

X.

Deferit ad tempus nonnullas *iſte benignus*
*Lymphaceus*que *fluor*, non nullas detinet autem
Continuo ſic, vt non parua moleſtia ſurgat,
Rodens excoriat quoniam muliebria mucus,
Et dolor excruciat, nec non pruritus adurit.

XI.

Prae ſe fert ſpeciem *fluor albus* ſaepe catarrhi,
Atque catarrhales imitatur ſchemate morbos,
In quos mutat *eum* methodus peruerſa medendi.
Albus enim *fluor* eſt membris genitalibus idem,
Ac tunicae pituitariae ſolet eſſe coryza.

XII.

Vrinam craſſam mingunt, multoque ſcatentem
Albo viſcidulo muco, qui dum petit imum
Aſſolet ex quauis dare parte coagula lactis,
Atque oleo ſimilis, pinguisque ſupernatat alto
Materies, caudam ludens, referensque colore
Pauonis. Similem ſtillatio ſeminis offert
Vrinam, talem vidi ſaepiſſime mictam:

Hanc

Hanc Ettmullerus ſcorbuto adſcribere tentat,
Scorbutus vero coniungitur vſque *fluori*
Ob ſuccos, tardus quos circulus efficit acres.
Ergo fit, vt praeſens fluat hic e renibus humor,
Qui ſecum partes oleoſas ducit, easque
Proſcribit, nec non ex aegrae corpore pellit.
At, ſe vrina tamen variat, variantibus ipſis
Subiectis, variat variante *fluore benigno*.

XIII.

Huic, quae ſubiacuiſſe *malo* ſueuere, colorem
Deponunt roſeum vultus, mentisque vigorem.
Pallida fit facies, et frontem ruga ſenilis
Defoedat, perit oris purpura, lumen vtrumque
Turbatur, nec non tumidos patiuntur ocellos,
Quos circum circa liueſcens circulus ambit,
Artus marceſcunt tabo, et torpore tenentur.
Iſta ſolent fieri, ſolidis quia partibus omnis
Subtrahitur ſuccus lymphalis, qui perit *albo*
Profluuio, ſic, vt tenuentur corporis artus.

XIIII.

Scire iuuat: languente tono langueſcere corpus,
Hinc languet ſtomachus, qui nullas adpetit eſcas,
Inteſtina ſimul languent, hinc tardius aluus
Munus obit, flatusque ſolent diſtendere ventrem:
Ventreque diſtento ſurſum diaphragma mouetur,
Inde fit anxietas circa praecordia maior,
Dum paruum ſpatium thorax nanciſcitur, inde
Neſcit vterque lobus pulmonum ducere vitae
Auras, ergo graui ſpirat, magnoque labore
Exſpirat, quare cor crebro palpitat ictu,
Et tremulo. Pulſus languet, languenteque pulſu,
Circuitu tardo ſanguis per vaſa mouetur,
Qualis circuitus, talis ſolet actio naſci
Corporis humani, talisque erit actio mentis.
Ergo femellae nequeunt ſufferre labores
Quos modo cura domus poſcit, motuque ſtupeſcunt,

 Saepe

Saepe grauatiuo vexatur vtrumque dolore
Crus, nec non lumbos pungens dolor urget, et vrens,
Osque ſacrum dolet, atque grauante dolore tenetur
Fronsque, caputque, ſua ſic mens in ſede, moleſto
Adficitur ſenſu, ſic indignantur, et arcent
Quidquid delicias non paruas adtulit olim.
Absque quiete fluit nox, hanc inſomnia turbant
Anxia, femellae magis feſſae ſtrata relinquunt
Hinc ſua, quam petiere prius, ſub ſole cadente.

XV.

His ſymptomatibus, magis ipſa cachectica labes
Increſcit, cui nunc coniungitur hectica febris
Lento depaſcens ſuccos et membra calore:
His oedema pedum ſociatur, creſcit in auctam
Abdomen molem, cui ſaepe ſuperuenit hydrops,
Qui tandem macros, vi mortis congelat artus.

XVI.

Si *fluor hic albus* femellas iuſtius aequo
Detinet, eueniunt, quae commemorata leguntur.
Procidit ex longo, multoque *fluore benigno*,
Matrix, et vagina ſimul, ſterilesque maritae
Euadunt, perit imperfectus foetus abortu.
Vlcus cancroſum parit albus, *qui*que diurno
Tempore perſiſtit *fluor* in matrice malignum;
Vt peſſumdando ſubſtantia tota liqueſcat.

XVII.

Per multos annos, iuuenes tolerare *fluorem*
Album femellae poſſunt vlla ſine noxa
Sic, vt concipiant, et iuſto tempore reddant
Conceptum foetum, quem nullus perdit abortus,
Nullus prolapſus vaginae, nullaque labes
Adgrediens vterum naſcatur, ſiue ſit eius
Prolapſus, ſeu ſit corruptio. Iuſtior aequo
Perdurans fluor vſque tamen, contraria profert.

XVIII.

XVIII.

Noſco famellas iuuenes, queis cara venuſtas
Perſiſtit formae, licet has *fluor* vrgeat *albus;*
Aſt hae ſueſcebant ſtomachi gaudere vigore
Inſigni, contra, quod ſi languore laboret
Ventriculus, facies euadet foeda; Valente
Ergo ventriculo, perſtabit gratia vultus.

XVIIII.

Diuerſae diuerſa tamen patiuntur ab vno
Morbo, temperies quia non eſt omnibus vna;
Vt variat ſtructura, *fluor* variabit, et aetas
Vt variatur, erit varians ſymptoma *fluoris.*

XX.

Albus enim *fluor hic* chronicos quia militat inter
Morbos, qui longam curam, longumque repoſcunt
Tempus, mirandum non eſt, ſi fit mora, ſit, vt
Hic fluor ex votis aegrotae cedere nolit
Et medici, quare *hunc* medicus faſtidit, et aegra.

XXI.

Difficile aufertur mediis, ſat tempore longo
Perdurans *fluor*, ob reſolutas iuſtius aequo
Partes vaginae matricis. Robore namque
Sublato cumulus contingit fortius illuc
Humorum, quo fit, tonus vt ſic laxior vſque
Euadat, ſtudium medici, qui reſpuit omne,
Praeprimis annos numerat ſi femina multos.

XXII.

Admittet contra methodum *fluor ille benignus,*
Si iuuenis fuerit muliercula, ſique diurnus
Non fuerit, minus et radices egerit altas.

XXIII.

Adgrediens medicus morbum, procuret, et omnes
Intendat neruos, craſſos mucagine ſuccos

Incidat, vacuet, quauis et liberet acri
Sorditie corpus, capiat ne dira cachexis
Incrementa, quibus mors atra ſuperuenit aegrae.

XXIIII.

Principio methodi celebretur ſectio venae,
Tutius in thalo, me iudice, vena ſecatur:
Qua ſolet imminui cum fructu ſanguis abundans,
Ne ruat ad partes genitales fortior eius
Impetus: hacue tonus redit ipſis partibus ante
Suſpenſus, quoniam ſic fons praecluditur iſtis
Partibus, hoc clauſo, ſeſe fluor ipſe remittet.

XXV.

Compos fit voti medicus, ſi vtatur eisdem
Lotia quae pellunt, mediis, obſtructa recludunt
Viſcera, diſcutiunt ſtagnantes vndique ſuccos,
Subiunctis illis, quae vi purgante valebunt.

XXVI.

Sic depuratis humoribus, atque cachexi
Propulſa, ſtudeat laxatis addere robur
Fibrillis, medicus, medicinis extus, et intus
Exhibitis, iſtis neruinis atque viciſſim
Balſamicis, vt ſunt, maſtix, thus, myrrha, ſtyraxque,
Herbae balſamicae, et paribus virtutibus harum
Aeque radices. Veniant ex vſibus intus
Quae modocunque chalybs profert medicamina. Fibras
Stringere laxatas poſſunt. Aqua conuenit extus
Frigida, qua lumbi modice, mediceque lauentur:
Roborat haec fibras, et firmat lotio laxas.
Atque aqua vult prodeſſe ſimul, ſi ſumitur intus,
Diluit haec craſſos ſuccos, illosque reſoluit,
Adtenuat, facilesque facit, ſecedere poſſint
Promptius humores diſcraſi, labeque foeti b).

XXVII.

b) RICHARD MEAD in monitis et praecept. medicis, Cap. 19. ſect. III. pag. m. 139.

XXVII.

Cortice nil chinae melius, nil tutius illo,
Roborat hic fibras, et corpus debile ſtringit:
*Leucoreum*que *malum* cohibetur corticis vſu
Continuo, mentisque vigor, vultusque venuſtas
Lapſa redit, ſueſcitque ſalus ſuccedere grata.
Sed cum lacte nocet femellis ore reſorptum
Decoctum, Caffi dictum, quod Turca profanus
Sorbillare ſolet, quia corpus debile reddit
Laxando, flatusque vagos in ventre creando.
Grande nefas! veniat vultur, coruusque cacatum
In caput iſtius medici, qui lege cauere
Nos iubet a potu, quo non eſt dulcior alter!
Audio vociferare genus muliebre, profanus
Vſus decocti, cui mulcet guttura ſorptu,
Quo maribus didicere ſuis mulgere crumenas.
Peruerſum et rationis egens genus eſſe, quis vnquam
Ambigit hoc, aegrum quod amat nutrire, ſalubre
E contra refugit corpus cane peius et angue?
Tantum pica valet linguae, tantumue palati!

XXVIII.

Talibus aegrotis medicatum porrige vinum,
Quod limata chalybs, et quod raſura rubelli
Ligni ſantalini ingreditur, quod denique Martis
Vitriolum, quod habet ſuccumque, cydonia mala,
Quem dant ſub praelo ſudantia: Zazare tandem
Dulceſcat vinum, placeatque ſapore palato.
Aut myrtillorum baccis adfunde Lyaeum,
Digere, poſt cola, colaturamque propina.
Fortiter adſtringens medium, neque detur Alumen!

XXVIIII.

Suffitus fiant ex maſtiche, thureque, partes
Languentes foueantur eis, vt robur eisdem
Sublatum redeat. Stibium, vel Saluia ſicca
Cum foliis quercus, vel gallis proderit, iſtis
In ſuffimentis. Sed ſi catamenia forte

Proueniant, minime partes ſuffire, iuuabit,
Sed deſiſtendum eſt, fluxu durante, ſequatur,
A ſuffimentis, ne fors ſubpreſſio fluxus
Lunaris, ſine quo non vita ſalute beatur.

XXX.

Et ſymptomatibus grauibus ſubcurrere, fas eſt,
Auxilioque ſimul medico releuare moleſtos
Adfectus: Quare laſſi ſtomachi gere curam,
Adpetat vt talis procura, corpus vt inde
Proficiat, redeatque decus, formaeque venuſtas.

XXXI.

Elixir conſtans extractis detur amaris,
Quae ſolui debent in conueniente liquore
Salſo, ſumatur guttatim tempore paſtus,
Illud cum vino, ſimul illo conuenit vti
Impleto ſtomacho, vigor eius abinde recurret.

XXXII.

Si dolet os ſacrum, ſi magna moleſtia vexat,
Lumbos diſtenſiua, cito remouere dolorem
Auxiliis iuſtis, feſtina diſcute ſenſum
Ingratum, impoſito veneto ſapone ſoluto,
Spiritibus, modo quos ſambucus porrigit, atque
Quos quoque ſubpeditant formicae, camphora tandem,
Atque crocus flauus ſocietur. Siue paretur
Emplaſtrum, conſtans oleo, quod praebet oliua,
Ceruſſa, nec non veneto ſapone, crocoque,
Et minio, iunctis, addatur camphora, ſicque
Oſſi imponatur ſacro, lenimen ab illo
Percipiet, fugietque dolor, ceu fumus ab auſtro.

XXXIII.

Excutiis rigidis, vel pannis frictio crurum eſt
Inſtituenda, pedes in aqua tenuiſſe calente,
Expedit, adfluxus ſic deriuabitur imas
Ad partes, et eas non copia magna grauabit

Succo-

Succorum, modo quae tamen his fit ſaepe moleſta.
Viſcidulo lentore ſuo genitalia laedens.

§. XXXIIII.

Quiuis tractatus tali ratione *benignus*
Ceſſabit *fluor*, atque ſalus optata redibit
Ex voto, modo dum ſtrictam ſeruare diaetam
Aegrae femellae, medico ſuadente, ſtudebunt:
Stricta diaeta valet plus, quam medicaminis vſus.

§. XXXV.

Vt variat morbus, methodus variabit. At, *iſte*
Fluxus, qui tradit ex obſtructis menſibus ortum,
Auffugiet, quando curamus, vt hi bene ſtillent.

§. XXXVI.

Labitur ad partes genitales ſaepe catarrhus,
Quo, per materiam translatam naſcitur *albus*
Saepe *fluor, talis*que, dato medicamine, cedet,
Cedere cui ſueſcit tractatus rite catarrhus.
Succina proficient in *tali* oblata *fluore*,
Albaque pimpinella, *malo*, data proderit *iſti*.

§. XXXVII.

Albo, diuexata diu femella, *fluore*,
Exactae ſtudeat, iubeo, cupioque, diaetae:
Euitet piſces ſiccatos, vel ſale multo
Conditos, fumo duratos nolit in vſum,
Aegra vocare ſuum. Caro fumo ſicca faceſſat,
Vel ſale conſeruata diu, carnesque ſuillae
Abſint, nec poſſunt prodeſſe legumina, lacque,
Et cremor illius nocet. Omneque, quidquid acetum
Continet, euitet. Fructus cane peius et angue
Horaeos fugiat patiens muliercula, quoduis
Ceſſet olus: Chylum generant haec omnia crudum,
Mucoſumque ſimul. Sed qualis chylus, et humor
Talis erit rubeus vitalis vaſa pererrans.

§. XXXVIII.

Sufficiens tenuis ſit potus, faecis et expers,
Arcendum frigus de corpore, vappidus aër
Eſt euitandus, ne tranſpiratio forſan
Corporis humani laedatur. Namque ſalutem
Quae turbant, faciunt, vt morbi ſurgere poſſint.

§. XXXVIIII.

Adfectus animi praeprimis moeror, et ira
Sint procul! Inſpiſſat moeror, denſatque cruorem,
Debilitat neruos, et tranſpiracula claudit.
Exagitat ſuccos, et corpus commouet ira,
Atque hoc ad ſpaſmos diſponit, vt inde dolores
Proueniant varie laedentes corporis artus.

§. XXXX.

Corporis inſtituat moderatum femina motum:
Si ſudor lenis prorumpit, terminus eſto
Motus. Nam magno corpus ſudore fatigans
Motio, damna creat neruis, denſatque liquores.

§. XXXXI.

Somnus poſt paſtum fugiendus, corpus ab illo
Laeditur, humores ſpiſſeſcunt, circulus illo
Sanguinis euadit, ſuſpenſo robore, tardus;
Molleſcit corpus, mentem ſtupor occupat, ipſam
Longior haud aequo, ſit ſomnus tempore noctis
Scilicet hoc eadem venit, et iactura reſurgit.

§. XXXXII.

Tandem cautelam quandam ſubnectere, reſtat;
Vt tuto poſſit tolli *fluor iſte benignus*.

§. XXXXIII.

Illotis manibus, nolit ſe accingere *morbum*,
Aut feſtinanter medicus, ne ſurgat abinde
Forte malum grauius. Non adſtringentibus vti
Fas eſt, materies niſi noxia, cauſa fluoris

Albi

Albi emendetur prius: Adſtringentibus autem
Intempeſtiue tractatus, ſchemata mutat
Leucoreus morbus, retinetur noxius humor,
Et fit materiae translatio, nobile viſcus
Incipit ergo pati, variisque doloribus angi.

§. XXXXIIII.

Naſcitur arthritis corpus pungente dolore
Tentans. Cardiacus morbus venit inde moleſto
Ventriculum ſtimulans ſpaſmo, diroque dolore,
Inuertens vomitu, et vomitus conamine vano.
Nunc hydrops abdomen aquis, diſtendit inundans:
Nec raro ſicco cutis ipſa tumore reſurgit,
Tympana rauca ſonans. Peruadit nunc aqua multas
Intercus ſic, vt cutis vndique tenſa tumeſcat:
Aſthmata proueniunt, ſuffocantesque catarrhi.
Non paucas vterina tenet, multumque fatigat
Paſſio, quae medicis morborum lerna vocatur.
Et phthyſis erodit pulmonum viſcus, et illam
Extenuans corpus ſequitur conſumtio lenta,
Quae facit, vt pereant multis ſudoribus, atque
Alui profluuiis languentia membra liqueſcant:
Hinc exſiccatos tabo, mors congelat artus.

§. XXXXV.

Haec ſunt, quae volui de *ſpurco* dicere *morbo*,
Album, *quem* medicus *fluxum* vocat, atque *benignum*.
Ergo boni, lector doctiſſime, conſule dicta;
Sit legiſſe ſatis tibi, quare claude libellum:
Sit ſcripſiſſe ſatis mihi, dictis ſit volo.

F I N I S.

FABELLAE LEPIDAE.

I.

CANIS ET FELIS.

Latratu, morſuque canis, perculſa feneſtram
Felis perrupit, quaereret inde fugam.
Prae feruore canis felem ſectatus, eadem
Deſiliens, fregit deſiliendo pedem.
Cautus vt exemplo ſis, et componere diſcas
Mentis feruorem, fabula noſtra monet.

II.

ASINVS ET VVLPES.

His, infit, portans auri graue pondus, Aſellus:
Prudentem ſociis, me magis eſſe, reor.
Sed, vulpes erras, ait: His non doctior es! te
Eſſe parem ſociis, voce rudente, probas.
Eſt aſino ſimilis Croeſus, quicunque Solonem
Se putat, arcadicum, ſit licet, ipſe pecus.

III.

PASSER ET ALAVDA.

CVR non, tot per agros profectus doctior anſer
Eſt nobis? catus his affatur paſſer, alaudam.
Ridet alauda, et ei verbis reſpondet acutis:
Nunquam, qui ſtupidus fuit ante, politior arte
Redditur in terris peregrinis, anſere teſte.

DE
PALLORE
FACIEI
CARMEN.

Es, bibis, et dormis, bene digeris, ingeris, atque
Egeris, attamen eſt pallor in ore tibi.
Pallor in ore tibi eſt; ſtudiis, vel amore teneris?
Vel curae vigiles pectora, corque coquunt?
Forſitan aegrotas, vel quadam febre laboras?
Dum totam faciem pallor habere ſolet?
Aut ob temperiem palles? at, pallor ab illa
Proveniens nocuus, non erit iſte tibi.

PRAEFAMEN.

De *pallore* canam *faciei*, *pallida* Luna,
Aethereum ſidus, quod noctis diſcutis vmbras,
Diſpellisque tuo nitido *pallore* timorem,
In mea vota veni, et vati ſuccurre canenti!
Fac, vt vi cantus fugiat mors *pallida*, facque
Vt curae fugiant *pallentes*, ocyus Euro!
Fac, meus inuidia tenuandus *palleat* hoſtis
Facque tuo *pallore* frui ne poſſit iniquus!
Luna faue vati, da votis pondus ineſſe!

Nunc age, Muſa, refer mihi, quid ſit *pallor*? et ex qua
Cauſſa forte ſuos natales *ille* capeſſat?
*Qui*ue ſalutaris, vel ſit morboſus habendus?
*Quo*ue ſalutaris cognoſci debeat, et quo
Morboſus ſigno queat? effice carmine, Muſa!

Non ignorandum eſt: quod non eſſentia vera
Carminis apta meis ſit verſibus: Hos modo formam
Prae ſe ferre quidem, fateor. Non hiſce character
Verus ineſt, qui iure tamen deberet ineſſe
Verſibus. At, quoniam ſcribendi mos mihi talis

Perplacet, hinc lactor ſpe certa, candide Lector,
Affore, vt haec etiam placeat tibi ruſtica Muſa,
Vileque ſcripturae genus, vti quo modo cunque
A teneris ſuetus ſum. Dum tibi commoda lectu
Obſeruata fero, quae fors faſtidia menti
Nulla tuae pariunt. Hinc aequi conſule, lector
Docte, bonique meos verſus, viles, licet, hi ſint.

Diuerſos diuerſa iuuant, non omnibus vnum
Scribendi genus eſt, non omnibus vna voluptas,
Omnibus ingenium non, mens non omnibus vna.
Opportuna ſalus curae cordique ſit, atque
Recta valetudo tibi, ſint et proſpera fata!



DE PALLORE FACIEI CARMEN.

I.

Diuerſo facies ſueſcit gaudere colore:
Nam pro temperie diuerſa corporis, et pro
Eius fibrarum varia compagine, nunc eſt
Purpureus color, et nunc vero *pallidus* ori.

II.

Si non per teneram telam cutis ulla cruoris
Purpura transparet, *pallor* ſtatus iſte vocatur.
Econtra, per rete cutis, ſi grata rubedo,
Pallida ceu roſa translucet, non iſta meretur
Vultus conditio, *palloris* nomen habere.

III.

Cauſſae ſunt variae *palloris*. Naſcitur *ille*
Ex forti et ſtricta fibra. Dat debilis, atque
Laxa nimis fibrilla ſimul *palloribus* ortum.
Ex nimium rigidis fibris, ſueſcitque venire
Ex fibris ſpaſmo criſpatis *pallor* in ore.

IV.

Ergo ſalutarem *pallorem* dicimus *illum*,
Fortibus et ſtrictis fibris *qui* prouenit: At, *qui*
Ex fibris laxis nimis, infirmisque reſultat,
Aut ex criſpatis fibris, rigidisque reſurgit
Pallor morboſus, medicis doctoribus, audit.

V.

Non ignorari debet: quod *pallor* in ore
Ex forti et ſtricta fibrilla poſſit oriri:
Huius dum robur, nec non ſtrictura repellunt
E cute coccineum, niſu maiore, cruorem,
Vt per eum minime poſſit ridere rubedo.

VI.

Tutior eſt *talis pallor*, quam magna rubedo.
Nam ſic Celſus ait [a]): Facies ſpecioſior aequo
Semper ſuſpecta ſueſcit gaudere ſalute.

a) Libr. II. Cap. II.

VII.

Non erit abſurdum, *palloris* ſigna referre
Certa, ſalutaris *pallor* queis noſcitur. *Illum*
Eſſe ſalutarem, dico, *quem* fortis, et vſque
Stricta nimis fibrilla creat. Cognoſcitur autem:
Si valet ad motus ſubeundos machina noſtri
Corporis, hosque ſimul peragit ſic, poſſit vt inde
Nulla moleſta ſequi ſenſatio, languor vt inde
Nullus proueniat, nullus ſtupor inde reſultet,
Sique vigent omnes animales iugiter actus,
Et ſi mentis adeſt vigor, acreque mentis acumen,
Sique valens ſtomachi virtus alimenta prehendit
Cum deſiderio, bene digerit, inque cruores
Transmutat concocta bonos, et ſi leuis horror
Poſt paſtum venit, et ſi non poſt fercula ſumta
Et corpus languet, caput atque dolore grauatur.
Si ſopor eſt placidus, ſi ſomno ſurgit ab ipſo,
Et noua vis animo, nouus et vigor inde reſurgit
Artubus, vt tanquam ſeſe putet eſſe renatum.
Saepius horreſcit talis, manus vtraque tactu
Frigida percipitur, cutis et ſudore madeſcit
Rarius: At, crebris ſtimulis, et flumine pleno,
Vrinam mittit, reſpondet et aluus eidem.
Hic ſtrictam raro patitur, ſed habere fluentem
Aluum conſueſcit. Nam ſi cutis extima denſa eſt,

Aluus

Aluus laxatur b). Fluit hinc Haemorrhois. At, ſi
Forte ſalutari, ſequior, *pallore* tenetur,
Sexus, ſtillabunt catamenia flumine pleno.

b) Bagliuius oper. Medic. pag. m. 36. 478. 491.

VIII.

Rarius aegrotant *tali pallore* valentes.
Non capitis dolor hos exercet, rara coryza
Illos adfligit, non inflammatio crebra
Infeſtare poteſt illorum lumina. Raro
Naſcitur his habitus malus, his obſtructio rara eſt,
Rarus adeſt ſcirrhus contingens viſcera, raro
Hydrops infiat aquis abdomen, rarius atque
Aſthmate pulmones tanguntur, rarius artus
Corporis humani morbo quocunque laborant.
At, tacti morbis multumque diuque trahuntur,
Morbis praecipue, ſi corripiuntur acutis.

IX.

Quidquid dat robur fibris, quid firmat easdem,
Et quidquid corpus denſat, proferre valebit
Iſtud *palloris* genus: vt ſunt frigida quaeuis,
Partibus externis admiſſa, vel inſimul intus
Sumta. Pares etiam *pallores* edit acetum,
Aut quoduis acidum, cuiusuis indolis, extus
Siue ſit adplicitum, ſumtum intus ſiue per os ſit.

X.

Excubiis, motu nimio, ſiccaue diaeta
Fibrae. Firmantur, denſantur membra labore.
Inquit enim Celſus c): Firmat corpus labor, illud
Otia diſſoluunt, et eisdem molle creatur.
Sic pariter corpus firmabunt acria guſtu.

c) Libr. I. Cap. I.

XI.

Stricto habitu quiuis, gaudens *pallente colore*
Adficitur vultus. Fibrarum forte, cruorem,

Dum non admittit, robur, ſed pellere magnis
Niſibus introrſum vitales e cute ſuccos
Audet, ſic fit vt *hic* naſcatur *pallor* in ore.

XII.

Potor aquae gelidae *pallet,* quia roborat intus
Sumta aqua fibrillas. Aqua frigida ſtringere fibras.
Ventriculi gaudet, ſanguis reuocatur ad illum
E cutis extrema facie. Sic *pallor* in ore
Prodit, et externos habet artus corporis, horror.

XIII.

Et motus patiens *pallet, pallet*que labori
Adſuetus, quoniam fibras conſtringit vtrumque,
Fibris denſatis, *pallor* prognaſcitur oris.

XIV.

Acribus atque acidis alimentis crebrius aequo
Vtens adficitur nimium *pallente colore;*
Illa quod adſtringunt ſic, vt cruor e cute verſus
Interius ruat, et vultum *pallore* coloret:
Iſta ſimul minuunt plethoram. Namque minuto
Sanguine non poterit cutis ipſa referre ruborem.

XV.

Sobrius, et ſeruans vitae ieiunia *pallet,*
Et longum fugiens ſomnum *pallore* laborat.
Sanguinis hocce modo prohibetur copia maior
Expandens tubulos, maior tonus ergo reſultat
In vaſis. Demta plethora, denſius, atque
Firmius evadit corpus, ſed quo magis illud
Condenſatur, eo maior ſcit *pallor* oriri.
Effectusque pares inducit ſicca diaeta.

XVI.

Et qui frigus amant, nec non loca frigida, *pallent;*
Frigus enim denſare cutim ſolet, atque cruorem
Interiora premit verſus, ſic purpura neſcit

Grata

Grata tenere cutim, ſed *pallidus* inficit illam
Vſque *color*. *Pallere* bonum eſt, *pallere* iuuabit.

XVII.

Femellae grauidae *pallent*, quia ſanguis earum
E cute matricis vaſis infunditur omnis.
Cous enim dicit: Mulier fit *pallida* tota
In matrice gerens, quod purus ſanguis ab eius
Corpore deſtillet, foetumque feratur ad ipſum
Fiat vt augmentum tenero in matrice cubanti d)
Palleat vt praegnans vtero femella, neceſſe eſt,
In cute ſi paucus nimis adſit ſanguinis humor.

d) Hippocrates Lib. I, de morbis Mulierum §. 39. pag. m. 380. Deſcendit enim, quum mulier in ventre habet, ſanguis paullatim in vteros e toto corpore, et in orbem circa id, quod in vteris eſt, circumſtans, illud auget. Et §. 47. pag. m. 383. Quum mulier in ventre habuerit, tota fit cum virore *pallida*, quoniam purus ipſius ſanguis ſemper quotidie ex corpore deſtillat et in foetum deſcendit, et augmentum ipſi accedit. Et quum parcior ſanguis ſit in corpore, neceſſe eſt, ipſam eſſe *pallidam*, et ſemper alienos appetere cibos, et ſanguinea in ventrem intrare. Et debilior fit, quoniam ſanguis minuitur.

XVIII.

Ob teneras ſtrictas fibras pinguedine fartum
Corpus habere ſolet *pallorem*, comprimit huius
Copia magna nimis tubulos, arctatque canales
Sic, vt non valeant rutilos admittere ſuccos.

XIX.

Aſt, Te ſcire bonum eſt: *palloris* adeſſe colorem
E vena quoties excedens mittitur humor.
Sanguine detracto, fibrillae robore forti
E cutis extremo poſſunt propellere verſus
Interius ſuccos, *pallor* naſcatur vt extus.

XX.

Aut quoties forti medicina ducitur aluus,
Vultus *pallorem* pariter prodire, videmus.

XXI.

Si medicamentis pelluntur lotia, tali,
Euenit, vt ſanguis, methodo, reuocatur ad ipſas
Internas partes, quoniam medicamina renes
Eximie ſtimulis agitant, vt copia maior
Irruat ad partes ſtimulatas e cute. Sanguis
Ad loca dum fertur ſtimulis agitata, reſurgit
Pallidior vultus, qui ceſſat, punctio quando
Deſinit ipſa: redit ſic tandem grata venuſtas.

XXII.

Exhibitis igitur ſignis, cauſſisque relatis
Palloris medicis, *qui* dicitur eſſe ſalubris,
Atque enarratis ſubiectis, quae tenet *idem*:
De *pallore* mihi morboſo dicere, reſtat.

XXIII.

Pallor morboſus faciei provenit, aut ex
Laxa temperie fibrarum corporis, aut ob
Fibras criſpatas aut ſiccas naſcitur, aut ab
Arte venit, mediisque ſimul, vitioque diaetae.

XXIV.

Qui trahit ex nimium fibris languentibus ortum
Aut ex criſpatis, morbo praeſente, vel illo
Finito praeſto eſt, ſed *pallor* natus ab arte,
Aut medicaminibus nocuis, vitioque diaetae,
Praecedit morbos, et eorum cauſſa fit apta.

XXV.

Ex habitu laxo morboſus *pallor* abortus
Eſt pertractandus primum: poſt, dicere, fas eſt
De *pallore* cutis, *quem* profert tractio, nec non
Fibrarum rigor, et tandem *palloris* origo
Eſt referenda, creant *quem* pharmaca, *quem*que diaeta,
Aut ars *quem* faciunt. *Palloris* ſigna referre
Ante iuuabit enim morboſi. Naſcitur ergo
Illius praeſens ſtatus hiſce ſequentibus: Ora

Pallor

Pallor habet, liuorque tenet rubicunda labella,
Plumbeus atque oculos circumdat circulus, atque hi
Turbantur, corpus languet, nimioque ſtuporis
Senſu membra, femur, pes et manus vsque grauantur.
Flaccida dependet caro, mens faſtidit, et eius
Omnis abit vigor, et vitae pertaeſa recuſat
Gaudia, delicias, refugitque negotia: Quasuis
Eſcas ventriculus faſtidit, obireque munus
Aluus rite ſuum tardat, ſomnusque, quietis
Expers tranſigitur, per iniquae tempora noctis.

XXVI.

His ſignis *pallor* morboſior adſolet vti
Ex fibris laxis nimis, infirmisque ſubortus,
Atque his perpetuo ſtipatur, eisque tenetur:
Aut, ex ſpaſmodice conuulſis *natus,* habere
Talia conſueſcit poſt ſpaſmos. Attamen illa
Continuo durare ſolent non ſigna, ſed horis
Elapſis aliquot delentur. *Pallor* at *hic, qui*
Ex fibris nimium ſiccis rigidisque creatur,
Debile corpus habet. Decreſcunt, atque teruntur
Paulatim vires, inconſtanti cupit eſcas
Ventriculus deſiderio, picaue laborat.

XXVII.

Quidquid fibrillas laxat, quid robur in illis
Deſtruit, inducit *pallorem*, ſiue ſit intus
Siue ſit illius ſimul extus cauſſa repoſta.
Peſſumdat robur fibrarum ſanguis abundans
Vaſcula diſtendendo nimis, conſtrictio iuſta,
Vt non in fibris diſtentis ſanguine poſſit
Inde ſequi. Nimiusque calor circumdare corpus
Qui ſolet vſque tonum fibrillis ſubtrahit. Aer
Humidus, atque locus nimis vdus, climaque coeli
Ad mare vel fluuios magnos quod ſpectat, easdem
Laxat fibrillas. Ignauia corpus [e] et expers
Legis concubitus diſſoluunt [f]. Longior aequo
Somnus praecipue poſt paſtum, deiicit omne

Robur fibrillis. Nimiis, curisque profundis,
Nec non excubiis crebris, ſtudiisque, cibisque
Subtractis, nimium fibrae laxantur, eaedem
Inuidia, nec non ira ſoluuntur, et illas
Balnea fibrillas calidiſſima crebra relaxant,
Deſtituitque frequens venarum ſectio robur g),
In fibris. Calidi potus praeſtabit abuſus
Semper idem: Solet hinc his laxis, *pallor* oriri.

e) A. Corn. Celſus Libr. I. Cap. I.
f) Idem l. et Cap. cit.
g) L. B. a Suiten in Comment. ad Magni Boerhaue aphoriſm. 106 lit. g. pag. 155.

XXVIII.

Obtinuiſſe locum ſolet haec deiectio ſolum
Roboris, in chronicis morbis, ita non in acutis,
In quibus eſt modo fibrarum criſpatio praeſens.

XXIX.

Fibrillae laxae, quia non protrudere poſſunt
Succos vitales cutis in tenuiſſima vaſa,
Vlla rubedo cuti non conciliatur amoena:
Pallidior vultus naſcatur vt inde, neceſſe eſt.

XXX.

Pallet virgineo morbo correpta puella,
Laxae dum fibrae nequeunt generare cruorem
Coccineum, modo ſed ſueſcunt proferre ſeroſum.

XXXI.

Tacta ſimul *pallet* femella fluore benigno h),
Et *pallet* iuuenis cuius genitalia ſemen
Abſque voluptatis ſenſu ſtillare, videmus.
Laxae dum fibrae nequeunt retinere liquores
Spermaticos, ſed eos patiuntur flumine perdi.
Quare ſubtrahitur membris nutritio ſic, vt
Proueniat *pallor* faciei membra liqueſcens.

h) Confer Carmen de Leucorrhaea. §. XIII.

XXXII.

Pallent, quos male habet, graecis ſic dicta cachexis
In ſuccos quia non bene agit laxiſſima fibra,
Non fieri ſanguis bonus adſolet: Aufugit ergo
Corporis humani decus et vigor, atque venuſtas,
Decrementa capit corpus, *pallor*que reſurgit.

XXXIII.

Atrophicus *pallet*, *pallet*que rachiticus infans.
Adfectus lepra, nec non hydrope laborans,
Pallent ob laxas fibrillas iuſtius aequo.
A morbis queisuis ſuperatis *pallor* in ore
Naſcitur, imprimis, hi ſi cum febre fuerunt.

XXXIV.

Vermibus obſeſſi vultus *pallore* laborant:
Haec quoniam chylum ſugunt animalcula, chylo
Abſorpto, fiet generatio pauca cruoris.
Si cruor exiſtit paucus, ſcit *pallor* oriri:
Vermibus eiectis ſolet euaneſcere *pallor.*

XXXV.

Sanguinis inſignes profluxus paſſus, in ore
Pallidus eſt. *Pallet* nimium cui profluit aluus.

XXXVI.

Atque metallicolae *pallent*, *pallore*que vultus
Omnes artifices tentantur, *eo*que laborant
Argentum viuum tractantes, et quoque plumbum.
Pallent, qui ſtudiis ad noctes vſque vacare
Conſueſcunt, quoniam ſtomachi vis inde perire
Adſolet: Hinc illa deiecta, nulla ciborum
Coctio conficitur, ſed iners prognaſcitur humor
Qui noſtrum corpus neſcit nutrire; ſed illud,
Si non nutritur, decreſcit corpus, et ora
Pallor habet, morbos *qui* multos ferre fit aptus.

XXXVII.

Curis indulgens *pallet*, *pallore*que vultus
Tingitur excubiis cui corpus perfluit ipſum i).

i) Exſanguis toto *pallor* ſedet ore quibusdam.
Palleat omnis amans: color hic eſt aptus amanti.
Pallorem inducunt morbi, et ieiunia, et alto
Qui curas in pectore alunt, *pallore* notantur,
Inque metu rutilus repetens praecordia ſanguis
Deſtituit vultum, cordi ſuccurrat vt aegro.
Iratum ſi *pallor* habet truculentior ira eſt.
D. Io. Pincierus in otio Marpurgenſi pag. II. libr. I.

XXXVIII.

Alui profluuium, quod vires fundere ſueſcit,
Nec non nocturnus ſudor, quo membra liqueſcunt,
Scorbutoque, phthyſique comes qui iungitur, iſtos
Ominis infauſti *pallores* gignere poſſunt.

XXXXIIII.

Ex deſiderio nimio, nimio vel amore,
Ob modo productam cauſſam, ſcit *pallor* oriri:
Conſumit vires noſtras adfectus vterque
Corpus ſiccando, ceu gramen ſolis ab aeſtu.

XXXX.

Fibrae criſpatae *pallorem* inducere poſſunt,
At, non continuum. Dum ſpaſmus concutit artus
In ſcenam prodit *pallor*, ceſſante ſed ipſo
Spaſmo, ceſſabit *pallor*. Dum ſyncope vexat,
Vultum *pallor* habet. Tetano dum membra rigeſcunt,
Aut emproſtotono, vel opiſtotono color oris
Pallidus apparet. Dum prouenit ecſtaſis, atque
Dum catalepſis adeſt, vultus *pallore* tenetur.

XXXXI.

Pallores generant vultus, epilepſia ſaeua
Artus concutiens, et iactans membra tremore.

XXXXII.

Pallidus apparet vultus ſi frigus, et horror
Intermittentis febris peruadere corpus
Tentant. Aſt, aeſtu veniente remittere ſueſcit
Pallidus iſte *color*, *cuius* vice magna rubedo
Succedit; qua ſic tenuatur corpus, vt inde
Proueniat fauces ſitis indelebilis urens.

XXXXIII.

Pallorem faciunt vehementia tormina ventris,
Veſicae, nec non renalis calculus vrgens,
Et ſpaſmus ſtomachi, nec non matricis abortus
Corripiunt faciem nimio *pallente colore.*

XXXXIIII.

Et metus inducit *pallores* e cute ſanguis
Intus dum ruit, et pulmones occupat, et cor,
Anxietas ſic, vt circa praecordia ſurgat.

XXXXV.

Pallidus exoritur vultus, ſi pectora moeror,
Et coquit, et tangit. Nam moeror corporis artus
Non aliter ſiccat, quam ſol aeſtate paludes.

XXXXVI.

Et liuor facit, vt facies *pallore* laboret.
At, color iſte venit faciei *pallidus*, hunc dum
Corporis et mentis vigor et fugit, et perit illi,
Sic, vt conſueſcat ſicceſcere corpus ab illo.

XXXXVII.

Terror *pallorem* producere ſueſcit in ore,
E cute purpureus dum ſanguis fertur ad ipſas

Partes internas. *Pallores* gignit et ira k),
Nec non adfectus animi finemque, modumque
Si ſuperare ſolent, cauſſam *palloribus* addunt.

k) Nunc rubet iratus faciem; nunc pallet eandem
Indole diuerſa vultus variante colorem.
Huic refugit ſanguis, praecordiaque intrat: at, illi
Exteriora petens tegit omnem murice vultum.
In *pallore* tamen vis eſt immanior irae,
Quam, quum puniceae facies rubet aemula flammae.
Io. Pincierus M. D. in otio marpurgenſi libr. I. pag. 15.

XXXXVIII.

Iſte color pallens oritur, quia ſanguinis humor
A fibris ſpaſmo criſpatis pellitur intus
E cute ſic, vt non naſcatur purpura fronti.

XXXXVIIII.

Pallorem fibrae rigidae, ſiccaeque creabunt,
Iſtis ex cauſſis, iſtae quia trudere ſuccos
Vitales nequeunt cutis in tenuiſſima vaſa,
Hinc collabuntur, collapſis hiſce, liquores,
Qui corpus nutrire ſolent, admittere nullos
Poſſunt. Hinc ſiccae fiunt, fibraeque rigeſcunt:
Hoc, in decrepitis fieri ſolet, atque maraſmo
Adfectis ſenibus. Sicceſcere, viuere noſtrum eſt,
Inquit Romanus Baglinius. Hectica febris
Quos habet, et vires conſumens ſudor, in illis
Tunc ſurgit *pallor* faciei. Morte peremti
Pallent, a facie cutis omni ſanguine verſus
Interius rapto, ſtagnanteque ſanguine mors fit.

L.

At, non *pallores* alienos eſſe, ſciendum eſt,
A medicamentis productos extus, et intus
Applicitis, ſumtis nocuis, noſtraeque ſaluti
Vtilibus. Generant magnum medicamina damnum,
Nec non morboſum *pallorem*, queis ſolet horum
Externus nocuus nimis vſus forte placere.

LI.

Vultus *pallorem* nocuum, producit acetum
Acre lithargyrio conditum; quando lauatur
Vultus eo. Nam poſt illud venit hectica febris.

LII.

Noxius exſurgit *pallor*, thoracibus arcte
Si nimium corpus conſtringitur. Arctius aequo
Corpore compreſſo, cruor in tenuiſſima vaſa
Non fertur cutis extremae: Nutritio nulla
Ergo fit in tubulis, hinc collabuntur iidem,
Sic preſſis pedibus ſequitur conſumtio lenta,
Syncope profertur, cor intus palpitat, aſthma
Pectus habet, nec non ſtringit praecordia magna
Anxietas, gelidus manat de corpore ſudor.

LIII.

Noxius internis mediis inducitur ori
Pallor, qui nimiis ex adſtringentibus intus
Naſcitur adſumtis, vt: gypſo, calce, vel ipſis
Terrenis, quibus eſt inſignis ſtyptica virtus,
Atque lithargyrio, viniſque ſcatentibus illo [1]):
Corticibus mali-corii, vel alumine ſumtis
Doſibus exhibita exiguis arſenica quaeuis,
Nec non mortiferi Saturni ſacchara poſſunt
Iſtos pallores inimicos ferre ſaluti.

1) O captas vana nimis ambitione puellas,
Quae commendari roſeo ſplendore genarum
Dignum rure putant: *Pallorem* oſtendere buccis
Eſſe decus Venerum, quas educat aula Potentum!
Ergo, vt natiuum depellant oris honorem,
Venter adhuc vacuus nullis quum tenditur eſcis.
Cretam aliae duro crepitantem mandere dente
Aut crepitus expers plumbum, et dimittere ventre:
Abſorbere aliae laticem mordacis aceti,
Aſſidueque ſitim madido de fonte leuare,
Nec ſatiari eſcis, lumbis quo pabula demant,
Atque opera tornent ſibi iuncea corpora eadem.
Naturale decus cur perditis oris, ineptae?

Cur

Cur aegrae cupitis, ſanae quum ſitis, haberi?
Aegrotare etiam non detrectatis, vt ori
Falſum inducatis, vero fugiente, decorem!
Neſcitis, miſerae, quid diſtent aera lupinis,
Quanta ſit in roſeo, neſcitis, gratia, vultu,
Quid magis orbis habet iucundum corpore ſano?
Aſt, huic conueniens ipſo dilutus ab ortu
Eſt rubor, atque genae ſucco perfundit amoeno.
Quid rigido magis eſt deforme cadauere? at, illud
Pallet, et e toto viuax color exulat ore.
Ergo pallori quia vitae exſortia tingit
Corpora, non video quid amabile poſſit ineſſe,
Ni faciem per ſe ſpecies adamabilis ornet?
At, formae iactura leuis: leue forſan et illud,
Quaeque ſuum genium ſpe quod defraudat inani,
Dum raris epulis fruitur, dum flumina potat.
Sed ſtudio vitae toties allidere puppim
Errorum in victu ſcopulis, ſtomachique calentem
Infirmare focum: iecoris, ſplenisque meatus
Obturare, vterique moram obiectare fluentis,
Naufragio grauiore premit, lethique minatur
Praeproperos nimium, quos ſponte adcerſitis ictus,
Et ſtimulos per ſe pernicibus additis acres.
Heu reuocate animos, ſtolidumque relinquite morem!
Quemque Deus vobis dedit, haud temerate vigorem,
Ne migret in vitae, vultus cultura, venenum!

Io. Pincierus in otio Marpurg. libr. I. pag. II.

LIIII.

Tandem ſpirituum potorum creber abuſus
Tingere ſcit vultum *pallente colore* nociuo.
Scire licet: mediis ex his prodire maraſmos,
Morbos atrophicos, hydropes, denique mortem.

LV.

Non ignorandum eſt: *pallores* arte venire
Ex medicaminibus, quae non inferre ſaluti
Noſtrae damna queunt. Externo, ſcilicet *ille*
Naſci conſueſcit *pallor*, medicamine. Nam quid
Roborat externas fibras cutis: Hoc aqua paulo
Frigida vult praeſtare, cutis ſi ſaepe lauatur
Illa, *pallorem* vultus prodire iubebit.

Saepius

Saepius adplicitus ſuccus citri, vel acetum
Inducunt fronti *pallorem.* Lotio vultus
Crebra ex ſpiritibus progignere gaudet *eundem.*

LVI.

Internisque poteſt medicinis ſurgere *pallor,*
Tartareus cremor, atque nitrum, nitriue liquores
Quiuis, potus aquae gelidae multus, vel acetum,
Vel fructus acidi maturi, ac indolis huius
Aequales herbae, *pallorem* dantque, feruntque.

LVII.

Acribus ex mediis, vt ſunt naſturcina ſurgit
Pallidior vultus color, armoracia, nec non
Porrus cum cepa, raphanus, piper, atque ſinapi
Inficiunt facies *iſto pallente colore.*

LVIII.

Virginibus, nec non femellis prauus abuſus
Decocti Bonnae *pallores* gignere ſueſcit;
Hoc, ſi ventriculis vacuis infundere tentant.
Ex hoc ſpiſſeſcit rubicundus ſanguinis humor
Per telam cutis vt nequeant ridere rubores.

LVIIII.

Ex craſſi, duri victus ratione reſurgit
Pallor, dum paucus ſanguis generatur ab illa.

LX.

Corporis ex nimio motu, nimioque labore,
Acribus ac acidis, aut abſorbentibus, atque
Ex infumatis, et ſiccis piſcibus, atque
Carnibus, a fumo duratis, vel ſale multo
Conditis, aut ex aſſatis omnibus, atque
Ex pauco ſomno, vel aquae potu venit oris
Pallor. Si *pallere* cupis tunc vtere, nec te
Horum poeniteat, quia conuenit *ille* ſaluti
Pallor, dum prohibet plethoram, quae ſolet eſſe
Morborum mater quam foecundiſſima [m]).

DIXI.

m) De plethora, matre morborum, non morbo, Carmen.

EPI-

EPIGRAMMATA

AD LECTOREM.

Inſtar apis, videor, quae cellis vere recondit,
Vt bruma multis vtilis eſſe queat.
Sic, ego, dum iuuenis fueram, dulciſſima ſcripſi:
Vt factus ſenior, commodiora darem.

AD MOMUM.

Aedificas, moror haud, ſed me, quia ſcribo, prehendis:
Edic! quis noſtrum ſtultior eſſe ſolet?
Condens dilapidas, ſcribensque numiſmata lucror:
Edic! quis noſtrum cautior eſſe ſolet?
Dum viues, condes, dum viuam, ſcribere pergam.
Ergo tu peccas plus, ego pecco minus.

VEL.

Condis, Mome, domos, ego vero condo libellos:
Menda tua eſt grauior, quam mea menda. Vale!



DE VVLNERVM IECINORIS LETHALITATE CARMEN.

Altius in iecoris viſcus deſcendere mucro
Suetus, diſcrimen mortis habere ſolet.
Tacta tamen leuiter iecoris pars ſumma, vel ima,
Quauis mortifera labe carere poteſt.

EPIGRAMMA.

Omnes aequa manet mors, omnes mors manet vna:
Mille tamen ſpecies ſunt, quibus illa venit.

DE VVLNERVM IECINORIS LETHALITATE CARMEN.

Veſica pertuſa, aut cerebro, corde, diaphragmate, tenui inteſtino, ventriculo, *hepate* mortiferum eſt. Hippocrates Sect. VI. aph. XVIII.

Hepate pertuſo mors fit certiſſima ſemper.

I.

Ille ego, qui *iecoris* tractabo vulnera, mortem
Quae ſueſcunt adferre, volo praemittere pauca
De *iecoris* vera natura, conditione,
Structuraque, ſitu, ſtationeque, munere, nexu,
Et de conſenſu, quem *viſcus* ſueſcit habere
His cum viſceribus, cauitas abdominis in ſe
Quae gerit, et quaeuis aduerſus fata tuetur:
Iſtis praemiſſis, manifeſtum fiet, acutis,
Vulnera cur *iecori* gladiis inflicta; vel aere,
Quod vomit igniſpuum tormentum, fulminis inſtar,
Horribilis mortis ſoleant inducere fatum.
Hinc curae mihi ſis, diuina ſcientia, primum,
Quae tradis methodum ſcindendi funera ferro:
Huc ades, atque faue, diuina ſcientia, vati!
Nam tu ſola potes medici ſubcurrere coeptis.

II.

Aſt, *imi ventris viſcus graue pondere, magnum*
Structura, iecur eſt. Iacet *hos* ſub fornice dextro

Septi tranſuerſi, quod amat diaphragma vocare
Graecis, ſic, tamen vt tangi queat illo ſiniſtro
Cartilago lobo, quae Xyphoidea vocatur [a]).

a) Hepar tranſuerſi recubans ſub tegmine ſepti
Parte ſui maiore latus dextrum implet, ibique
Depellit ſpuriis externa pericula coſtis.
Maſſa refert eius concretum e ſanguine grumum,
Qui ſummis tepida digitis contrita ſub vnda
Venarum niueis ſecernitur vndique ramis
Viſceris hac, illac per denſa coagula ductis.

Io. Pincierus M. D. in otio Marpurgenſi, quod prodiit Herbonae Naſſouiorum anno 1614 libr. III. pag. 142.

D. Io. Erneſtus Hebenſtreit in Carm. de Homine ſano, et morboſo. Cap. IV. §. 16. et ſeq. pag. m. 27.

III.

Eſſe ſuperficies conſueſcit gibba ſuprema
Nec non aequalis, facies, caua cernitur ima,
Quid, quod? inaequalis *iecoris* [b]). Sed glandula multa
Eſt in parte caua, felliſque, tenetur ab illa,
Folliculus, qui bile tumet, ſpiſſaque ſuperbit
Quid, quod? amaritie gaudet, quam lingua ſapore
Detegit inſigni pollens. Hic, balſamus eſſe
Nec non detergens ſapo conſueſcit, amaror.

b) Qualem autem Phoebea ſoror, quum cornua ſumit,
Aut eadem fratri mox conſocianda reſumit
Aethere prae ſe fert oculis conſpecta figuram:
Talis idem iecori eſt ferme. Nam parte ſuperna
Eſt illi facies conuexa, ſimillima gibbo:
Inferior caua ventriculo ſuperimminet alto,
Illiusque ſuo corroborat igne colorem.

Io. Pincierus libro, et pag. citatis.

IIII.

Pars *iecoris* conuexa lobis diuiſa duobus,
Et caua pars pariter lobulo diſcreta minore
Cernitur, huic nomen fecit Spigelius olim,
Cui prope ſunt gemini lobuli, qui nomine Portae

Gaudent,

Gaudent, antiquosque pylas dixiſſe, ſciendum c).
His tamen eſt nomen, quia portae vena ſubintrat
Hepar bilificum, *quod* ſanguificaſſe putatum eſt
Antiquis medicis d). Has portas maximus inter
Venarum fluuius ſimili cognomine portae
Dictus adit *iecur*, et toto demergitur illo,
Diſpergensque ſinus per viſceris intima ſerpit.

c) Haud etiam pinnas diſtinguitur hepar in vllas
Id licet, Hippocrates faciat, quicunque notantur,
Nomina certa etiam quibus indere Theophilus audet.
Idem pag. 142.

d) Quaeſtio iam pridem certamina feruida mouit
Diſſectorum abacos inter, liquidiue cruoris
Purpureos primum manare ex hepate riuos,
An vero e finibus cordis prodire, putandum.
De quo ſenſa mei tibi pectoris obuia reddam.
Aſpice, quam ſimilis iecoris ſit maſſa, cruori,
Et nihil eſſe aliud dices, niſi ſanguinis vndam
In thrombum ſolidum propria extra vaſa, coactam,
Viſcera cui certam tribuant vicina figuram.
Aſpice, quod trito digitis circumfluus humor
Tingitur, et rubri recipit pigmenta coloris.
Aſpice, item ſedem iecoris prope corporis ipſo
In centro poſiti. Num conuenientior vllus
Sanguinis eſſe poteſt ſcatebris, qui corporis omnes
Permeat in partes, vt iuxta nutriat omnes?
Ecquid item vero propius, quam viſcere in illo
Sumere ſanguineum concocta alimenta ruborem,
Excrementorum cui ſanguinis eſſe propinqua
Vaſa parens rerum voluit? pendere poroſum
Nonne vides iecoris mox e regione lienem,
Separet vt nigrum rubro de ſanguine ſuccum?
Bilis inhaereſcit flauae quoque follis eidem,
Separet vt flauam rubro de ſanguine bilem.
Tum bibuli renes infra hepar vtrinque repoſti
Haud longe, ſalſo vacuant humore cruorem.
Quid? quod ſanguiferae naſcuntur ab hepate venae,
Argumenta tibi facient quod fortia planum.
Quid dubitas igitur mecum ſentire, cruoris
Eſſe iecur fontem, vita durante, perennem?
Idem. pag. 151.

V.

Diuiditur *iecur* in dextram, partemque ſiniſtram:
Verum, craſſitie ſuperat pars dextra ſiniſtram.

VI.

Conſenſum memorare iuuat, nexumque referre
Me non poeniteat *iecoris*, quos nutrit, alitque
Hoc cum viſceribus, quae venter continet imus [e]).
Hepar coniugii foedus conſueſcit inire,
Vi ſuſpendentis dextrae, ligulaeque ſiniſtrae
Cum transuerſali ſepto, diaphragmate, dicto.
Perque ligamentum, quod nomen habere rotundi
Aſſolet, interius *iecur* hoc cum fune cohaeret,
Qui quondam foetus, aduecto ſanguine, vitam
Seruabat, funem vero tenet omphalos illum [f]),
Aſt, ope membranae propriae connectitur *hepar*,
Poſterius ſepto, quod tranſuerſale vocatur.
Per ſua vaſa *iecur* ſcit conſentire viciſſim
Cum vena portae, cum vena, quae caua dicta eſt.
Membrana propria veſtitum cernitur *hepar*,
Quae peritonaei vult continuatio dici.
Capſula, cui dederat glyſſonia nomina Glyſſon
Eſt peritonaei ſoboles, et mira propago:
Multus in hac numerus ramorum ſurgere ſueſcit,
A vena, ſolitus natales ſumere portae.
Huic ſunt biliferi ductus, arteria in illa
Obuenit, a medicis noſtris iecoraria dicta:
Illa prope atque intra *iecur* omnia, capſula condit.

e) Mole iecur grandi cum quouis viſcere certat,
Pondereque eximio, quapropter fortiter haeret
Suſpenſum ſuperis per certa ligacula membris,
Vtpote, tranſuerſo ſepto, coſtisque propinquis
Et mucronato, medio ſub pectore, chondro.
Vmbilico religatur item, valideque cohaeret
Degeneris venae per nexus, ſanguine foetum
Qui pauit tenerum grauidae matricis in aluo,
Ne iecur in dorſum vergat graue, ventre ſupino,
Et ſecum diaphragma trahens animae hauſtibus obſtet:

Vt ſolet vmbilico mox ſuffocare reciſo,
Circumquaque hominem, celerique extinguere morte.
Poena, heu barbaricae nimio plus barbara gentis!
Mitto cauae venae nexus, communis amictus.

Idem, pag. 143.

f) Ante caui ſtomacho qua tecti inſternitur inſtar,
Non nihil exciſum eſt, crenamque accepit hiantem.
Hic locus eſt, puero adportans vbi vena cruoris
Pabula materni tenerum ſe mergit in hepar,
Oſculaque indigenis coniungit mutua venis,
De quo plura mihi ſunt commemoranda ſequenti.

Idem pag. cit.

VII.

Verum, vaſorum numeroſa mole beari
Hepaticum viſcus longe voluiſſe ſagacem
Naturam, conſtat, diſſecto funere: Dici,
Qua de re merito *iecoris* ſtructura meretur
Maxima congeries vaſis glomerata tenellis
Sic, ſit vt illa globo, glomerique ſimillima, multis
Compoſito ex filis netricis ab arte locatis.

VIII.

Quae nutrire ſolet *iecur*, eſt arteria multa,
Eſt a coeliacis, diaphragmaticisque reſurgens,
Atque meſenterica ſupera. Eſt arteria multa,
Quam *iecori* magno tranſmittere cyſtica ſueſcit.
Venas a Portae vena *iecur* accipit, illa
Parte caua *iecoris* demergitur, aptaque, nata eſt,
Vt ſimul eſſe queat vena, atque arteria, nec non
Exercere vices illius, et inſimul huius:
Haec quoque ſubpeditat *iecori*, donatque cruorem,
Ex quo ſecerni poſſit bilis, liquor ille
Balſamicus, vires imitans ſaponis g). In *hepar*
Innumeras venas deponere ſcit caua vena.
A diaphragmatica venas trahit *hepar*. At, illa
Fungitur officio, rubeum ſorbere cruorem
Illum, qui ſupereſt, et eundem reddere cordi h).

g) Con-

g) Concaua pars iecoris conſeruatura calorem
Ingenitum roſei cauſſam fabrumque cruoris
Auxilium cordis poſcit, quod mittitur illi
Per geminos graciles ramos pulſantis aortae,
At, nullis eguit gibba ob diaphragma propinquum
Cuius ab incubitu, veluti lodice fouetur,
Atque illo ſatagit rerum contenta ſuarum.
Idem pag. 144.

h) Quum vero nullas in ſeſe denſa cauernas
Maſſa habeat iecoris, fluidam queis ſanguinis vndam
Contineat, geminis hic illic peruia venis
Grandibus eſt, toto ſparſim quae viſcere fibris
Radices egere ſuis. Radicibus arbor
Vt forat expanſis ſolidae penetralia terrae.
Corpora ſunt autem membranea, longa, tuborum
Concaua more, colore albo, de caudice craſſo
In corpus paſſim tenues ſpargentia ramos.
Idem. pag. 145.

IX.

Ne deſint *iecori,* voluit ſapientia, nerui [i]).
Intercoſtalis nerui iecorarius ille
Plexus, neruorum largitur ſtamina multa.
Vaſaque, quae bilem ducunt habet *hepar,* et illa
Glandula multa tenet. Non ignorare iuuabit:
Haec bilis ſuccum ducentia vaſa canales
Eſſe, quibus pariter non deſunt nomina certa [k]),
Primus communis, ductusque choledochus audit,
Oblique ſeſe duodeno iungere ſuetus.
Cyſticus eſt ductus, qui gaudet ſede ſecunda
Hic ex folliculo fellis venit, atque canalem
Ingreditur, dictum communem, denique ductum
Angulus inſinuat, iungit, committit acutus
Hepatico, praemunit eum quoque glandula multa
Diuerſi generis circa collum ſita fellis
Folliculi. Varios ſerpentum more recuruos
Flexus ductus habet cognomine cyſticus, atque
Tertius hepatici ductus ſub nomine notus
Eſſe ſolet, recto, qui tendit ab *hepate* curſu
Verſus communem. Diſſeminat ille frequentes

Ramos

Ramos per *iecoris viſcus* ſub voce pororum
Ducere ſuetorum tenuiſſima flumina bilis.

i) Pertenui tunica circumdatur, et ſine ſenſu
Ne maneat, neruos dedit huic natura puſillos
Cum ſenſu exiguo, penitum quem fundit in hepar,
Quantillum accepit. Non vber in hepate ſenſus
Eſt igitur nec grande dolet, quum percipit aegros
Non bene diſpoſitum, cuius ſit cunque caterua.
Idem. pag. 144.

k) Haec porro geminos ceruix diuiſa canales
Ex ſe producit. Quorum diſpeſcitur alter
In plures ramos, denſum quibus intrat in hepar,
Sanguine vt a dulci choleram ſecernat amaram,
Veſicaeque ſuae tractam cauitate recondat.
Munitur valua bilis ſpectante lagenam,
Et mittente intro, nihil emittente retrorſum.
Fxoriens alter ceruice canalis eadem
Ἔκφυσιν ingreditur, duodeno hoc nomen Achiui
Dant inteſtino, qua iungitur ileon illi,
Scilicet, vt flaua veſicam bile tumentem
Depleat, et croceum deriuet in ἔντερα virus.
Vnde dein patulâ cum faecibus exeat aluo,
Idque ideo rentur fieri, quo bilis amaror
Quoddam inteſtinis addat quaſi calcar, et illa
Spurcum hortetur onus grauidi deponere ventris.
Haec eſt illuuies, cuius mixtura colorat,
Excrementa aluî, et nota flauedine tingit.
Obtigit huic etiam ramo, ſua valuula verſus
Inteſtina patens: flauae quo mittat in illa
Bilis onus: nec folliculo tolerabile pleno,
Intereaque vetet, quod ſuſcepere, redire.
Sunt quibus in ſtomachum fellis veſica meatum
Inſinuat tenuem, laticesque infundit amaros.
His caput excruciant ſaeui ſine lege dolores,
Triſtis amarities vitians cum gutture linguam
Marcida ſumendis epulis ieiunia praefert,
Perque gulae vomitus bilem reiectat hiatum.
Pernegat hunc vnquam ſe conſpexiſſe Columbus,
Quique ſuum Mutinae debet Fallopius, ortum,
Corpora multa licet ferro ſecuiſſet vterque
Diſcrepat Andreas ab vtroque, oculisque ſerenis
A ſe deprenſum ſemel eſſe in remige narrat.
Nec viſum latuit, quum panderet exta, Galeni
Qui mala ab hoc ſimul expoſuit manantia fonte,

Adiicit his album Bauhinus et ipſe lapillum
Corpora, quo reſecare virûm vix gnauior alter.
Idem. pag. 155 ſeq.

X.

Et natura dedit *iecori* lymphatica vaſa
Plurima, quae lympham capiunt, qua cyſtica bilis
Lentore hepaticam ſuperans tenuatur, amaro:
Haec ſe ciſternae lumbaris vortice mergunt.
Maximus et venae Portae ſinus, atque canalis
Venoſus, quos foetus habet, non iure tacendi
Sunt vllo. Verum, ſinus hic creſcentibus annis
Et quoque venoſus deletur vterque canalis
Sic, adoleſcenti, vt veſtigia nulla ſuperſint.

XI.

Aſt, e parte caua *iecoris* veſicula fellis
Fota, ſimul quum ſit variis obnoxia plagis [l]),
Non erit abſurdum, verum magis vtile, noſſe
Cyſtidis hiſtoriam, quam commemorare profanum
Non erit. Haec ouo gallinae vix ſolet eſſe [m])
Maior, et haec ope membranae communis habere
Conſenſum ſolet, et per ſic communia dicta
Vaſa, fouet *iecoris* cum viſcere foedus amicum:
Ergo vaſa ſolent ea, cyſtica vaſa vocari.
Sunt ita folliculi collum, fundusque, canalis
Cyſticus, et frenum, ſtructuraque cyſtidis ipſa,
Commemoranda mihi, me praeteriiſſe quid, vlli
Ne, quid et intactum ſtudio liquiſſe, viderer.
Refert ſcire: velut collum ſphinctere coerci,
Et ſurſum verſus ſpectare, ſuperque iacere
Colo, quod bilis tinctura pingere ſueſcit:
Sic eius fundum quoque dependere deorſum
His, quibus eximiae naturae maximus auctor
Et Deus os ſublime dedit, coelumque tueri
Iuſſit, et erectos ad ſidera tollere vultus.
Cyſticus expoſitus tubus eſt in commate nono,
Hunc ductum fraenum ſueſcit coniungere fellis

Folli-

Folliculo. Sed de fabrica iam dicere fas eſt
Cyſtidis. Ex quatuor membranis texitur illa,
Quarum communis membranula prima vocatur
Ex cellis, vaſisque venit conflata ſecunda:
Illi membranae dant cellae, vaſaque nomen.
Ordine ſubſequitur membranula tertia, fibris
Texitur ex rectis, obliquis texitur illa
Ex variis fibris, ceu fortis muſculus, a quo
Accepit nomen. Membranaque, neruea, quarta,
Dicitur a medicis, haec monſtrat retia, rugas
Interius, minima numeroſa glande beatur.
Iſtam membranam, mucoſum lubricat vnguen,
Illi, ne bilis creet acrimonia noxam.
Verum, ſtructura ſimili gaudere ſolere
Biliferos ductus, inſpecto *viſcere*, conſtat.

l) Intus flauenti veſicula turgida felle
Hepatis eſt ſuſpenſa cauo, membranea tota
Triplicibus tenui conſtans in folle fibrillis,
Queis bilem allectat, retinetque, et pellit amaram.
Ipſa illi iecoris patefecit maſſa profundam
Haud adeo foueam, medio quem folle ſubintrat,
Corpore colliculum reliquo ſuper hepate tollens
Hoc ſtomachum, et, quod ei iungit vicinia, colon
Tangit, et interdum flauedine tingit vtrumque,
Pendius vnde gulae pernaxque accenditur ardor,
Cuius poſt animae diſceſſum corpore ab aegro.
Monſtrarunt veras diſſecta cadauera cauſſas.
Io. Pincierus Med. Doct. in otio Marpurgenſi libr. III. pag. 155.
D. Io. Erneſtus Hebenſtreit in Carm. de Homine ſano et aegroto Cap. IV. pag. 29. §. 19.

m) Sed quam fellis habet ſpeciem veſicula? noris
Eſſe pyro ſimilem longo, pars altera cuius
Craſſa eſt in tenuem conſtringitur altera conum.
Ventre igitur croceum ſuccum complectitur amplo,
Ceruicemque, ab eo ſenſim graciléſcit in arctam.
Io. Pincierus M. D. libr. et pag. citat.

XII.

Eſt tempeſtiuum: de *viſceris hepatis* vſu
Dicere pauca. Placet, quoque fellis cyſtidis vſum

Enarrare breui ſermone, iuuatque, referre
Quaedam de bilis ſimul vtilitate gemellae,
Quam praeſtare ſolet, dum tranſit ad ilia bilis.
Non ignorandum eſt: componi e ſanguine bilem,
A vena Portae *iecori*, qui mittitur, iſtam
Indole balſamica, ſaponis et indole foetam;
(Nam vis balſamica eſt, et ſaponacea bili).
Et duplicis generis bilem ſecernere, munus
Hepatis eſſe. Vices commiſſas eſſe, ſciendum eſt,
Fellis folliculo, ſecretam ducere bilem,
Hanc ſeruare mora longa, propellere tandem,
Et per biliferos duodeno infundere ductus
Bilem balſamicam, et ſaponis viribus aequam.
Bili balſamicae, et vires ſaponis habenti
Incumbit, partes aqueis coniungere pingues,
Ex hoc coniugio lac vt naſcatur, et humor
Commodus enutrire ſua dulcedine corpus:
At, liquor iſte venit medicis ſub nomine chyli.
Fungitur officio, chyli tenuare liquorem,
Inteſtinorum lentos incidere mucos,
Nec non illorum ſordes abſtergere foedas,
Quid? quod amaritie lumbricos ventre fugare,
Atque inteſtinis ſtimulos acredine factos
Addere, quisquiliae cedant vt ventre ciborum,
Nec non praedominans acidum pertundere chyli.
Scire licet: duplicem bilem dare, ſcilicet vnam
Hepaticam medici dixere, ſapore benigno
Quae valet, atque minus conſueſcit ſpiſſior eſſe.
Altera vult contra appellari cyſtica bilis:
Haec eſt ſpiſſa magis, magis eſt ſaturata colore,
Quid? quod amaritie didicit ſuperare priorem.

XIII.

Hepatis et fellis ſic dictae cyſtidis, atque
Vſibus, hiſtoriisque datis, ad vulnera iamiam
Tranſeo, quae diuus Cous lethalia dixit:
Mors fit, ait, quando laeduntur vulnere quodam
Ventriculus nec non cerebrum, diaphragmaque, corque

Atque

Atque inteſtinum tenue, et veſica, iecurque n).
Mortiferum vulnus *iecoris* plerumque creatur
Vaſis innumeris *iecoris* quia viſcus abundat o).
Hepar enim grauiter laeſum reparare quis audet?
Aſt, modo de *iecoris lethali vulnere* dicam.
Vulneris ante tamen generalis notio danda eſt,
Eius, quo melius cuiuis natura pateſcat.

n) Sect. VI. aph. 18. item C. Aur. Celſus libr. V. cap. 26 pag. m. 283. Seruari non poteſt, cui iocinoris portae percuſſae ſunt. Vix autem ad ſanitatem perueniunt, quibus vlla parte iocinoris craſſum vulneratum eſt.

o) Videſis §. VII.

XIV.

Eſt vulnus partis mollis diuiſio, fluxu
Sanguineo ſtipata, recens, violentaque, facta
A cauſſis duris, motis, preſſis, et acutis p).
Vulnera ſunt igitur vel ſanabilia, vel ſunt
Vulnera, quae mortem ſueſcunt inducere caſu,
Sunt quoque natura lethalia vulnera quaedam.
Cheirurgis vulnus ſanabile dicitur illud,
Quod manus auxilians ſanat, medicinaque tollit.
Sed caſu quoduis vulnus lethale vocatur,
Quod perſanari potuiſſet, et arte, manuque,
Ni, ſymptomatibus grauioribus, inque diaeta
Commiſſo vitio, nec non errore medentis,
Vel quoque temperie morboſa vulnere tacti,
Aegrotique, anceps curatio facta fuiſſet.
Mortiferum tamen ex natura vulnus habendum eſt,
Multum, ſi praeciſa pluunt, funduntque cruoris,
Vaſa, grauis, vires frangens, vt noxa ſequatur,
Si neque cheirurgus, neque pharmaca ſiſtere ſueta
Sanguinis effluxus, ad laeſum tendere viſcus
Internum, arte, manu, ferro, virtuteque poſſunt.

p) Vulnus eſt ſoluta cohaeſio recens, cruenta, partis mollis, a corpore duro, acuto, moto, preſſo, vel reſiſtente. Herm. Boerhaave de cognoſc. et curandis morbis. Aph. 145.

XV.

His ita praemiſſis, compulſus ab ordine rerum
Ad *vulnus iecoris* pungendo laedere ſuetum
Tranſeo. Percuſſum vero *iecur* eſſe, ſciendum q),
Si coſtis ſpuriis in dextra parte locatis
Inflicto gladiis ex vulnere fertur eundo
Multus et obſcurus cruor, exhaurire fluore
Suetus percuſſi vires, ſi pulmo moleſte
Spirat, et inſugit vitales aëris eſcas,
Si premit anxietas, dolor et vehementior angit
Adſcendens iugulum, ſcapulas, et pectora ſumma,
Si ſanguis vomitu, ſi ſanguis redditur ano,
Si bilis vomitur, ſi bilis flaua cacatur,
Si fluit ex ipſo mera bilis vulneris ore;
Saepeque ſi vires animae linquuntur, in aegris
Si febris ſurgit ſueſcens inducere mortem.

q) Iocinoris autem vulnerati notae ſunt: multus ſub dextra parte praecordiorum effuſus ſanguis: ad ſpinam reducta praecordia: in ventrem cubandi dulcedo: punctiones, doloresque vſque ad iugulum, iunctumque ei latum ſcapularum os intenti, quibus nonnunquam etiam bilioſus vomitus adcedit. Aur. Corn. Celſus Libr. V. cap. 26. pag. 286.

XVI.

His, qui percuſſo moriuntur ab *hepate*, mors fit
Illis ex cauſſis, quia fluxus ſanguinis, imi
In ventris ſtillans cauitatem flumine pleno,
Nullis auxiliis compeſcitur, arteque nulla,
Et nulla manuum prohibetur fluxio, cura.
Ex hoc, dum vires franguntur flumine, vitae
Viribus exhauſtis, e corpore ſpiritus exit.
Ergo rapit vitam penuria ſanguinis ipſa.
His intelligitur manifeſtius: *hepatis* eſſe
Vulnus mortiferum, praeprimis illud in *hepar*
Si laedens ferrum mucrone profundius iuit.

XVII.

Verum, nunc patitur *iecoris* ſubſtantia vulnus,
Et nunc accipiunt, *illius*, vulnera, vaſa.

Quare

Quare diuiſit veterum ſententia vulnus,
In vulnus, quod habet *iecoris* ſubſtantia, nec non
In vulnus, quod alunt *illius* vaſa. Vocauit
Caſu mortiferum, quod habet ſubſtantia, vulnus:
At, quod vaſa tenet *iecoris*, pronuntiat, eſſe
Vulnus mortiferum naturae lege. Sed illa
Futilis eſſe ſolet veterum diuiſio, fallax
Horum iudicium, nec non ſententia falſa.
Nam quoniam vaſis numeroſis *hepar* abundat r)
Nunquam percutitur *iecoris* ſubſtantia ſola,
Vſque ſimul plagis *illius* vaſa laborant
Sanguifluis, laedens, inprimis altius intra
Viſcus ſi mucro penetrauit. Abinde pateſcit:
Quod ſi lethalis *iecoris* ſubſtantia ſemper
Vulnere laeſa, ſequi quia ſueſcit larga cruoris
Fluxio, qua, fuſo cum ſanguine vita fugatur.

r) §. VII. et XIII.

XVIII.

Aſt, inter *iecoris* vulnus leue, quodue profunde
Non penetrare poteſt in viſceris intima, ſed quod
Lene ſuperficiem modo tangere ſueſcit, et inter
Vulnus deſcendens intra *iecur* altius aequo,
Eſt diſtinguendum. Diſtinctio commoda perquam
Haec eſt vulneribus, quae ferris accipit *hepar*.
Hepar enim leuiter percuſſum maxima vaſa
Sciſſa referre nequit: Sed ſi lethale fit *hepar*,
Lethalis fieri ſueſcit modo laeſio caſu,
Arte tamen, *iecoris* leuiora haec vulnera poſſunt
Sanari, nec non valet excuſatio. Contra,
Laeſio, quae tangit, penetratque profundius ipſum
In *iecoris* viſcus per ſe lethalis, habenda eſt.
His ita percipitur: *Iecoris vulnus leue, caſu*
Mortiferum fieri; per ſe lethale, putandum
Vulneris eſſe genus, quod viſceris intima tranſit.

XIX.

Aſt, vbi percuſſum medium *iecur* eſt, vbi laeſi
Rami maiores vaſorum ſunt, vbi bilis

Ductus praeciſi ſunt, et veſicula fellis
Vulnere correpta eſt, vulnus lethale vocatur.
Hinc, penetrauerunt quia talia vulnera iuſto
Altius in *iecoris viſcus,* quia habere recuſant
Auxilii genus, haec lethalibus eſſe, medentes
Adnumeranda, putant. Valet excuſatio nulla,
Vulneris effectus ſi magno ſanguinis, imum
In ventrem cumulo profuſo, funere ſecto,
Noſcitur. Ex ipſa natura vulneris huius
Nil fluit, auxilio quod poſſet, et arte parari,
Vlla valetudo bona reſtituatur vt aegris.

XX.

Summa quibus *iecoris pars,* aut *extrema* prehenſa
Vulnere, ſed leuiore tamen percuſſa laborat,
Illis adfulget ſpes exoptata ſalutis:
Vulneris et genus hocce ſuperficiale vocatur.
At, quia non multum confluxit ventre ſub imo
Sanguinis effuſi, iuuat excuſatio multum[s]).

s) §. XVIII.

XXI.

Hepate percuſſo, profuſio ſanguinis aegrum
Momento iugulat, vel ſi ſit vita ſuperſtes,
Spiritus inſigni molimine, cumque dolore
Ducitur, ipſe dolor ſueſcit punctorius eſſe,
In lateris dextri dextra regione vigere,
Ad ſummum, ſurſumque ſolet conſcendere pectus[t]).
Aſt, ſi magna ſuperuenit inflammatio, ſcire
Refert: ictericos fieri tunc corporis artus.
Aſt, vbi laeſa ſimul veſicula fellis habetur,
Atque viae ſi ſunt praeciſae, felleus humor
Per quas euacuat ſe, effertur vulnere bilis.

t) §. XV.

XXII.

Per coſtas ſpurias penetratum vulnus ad *hepar,*
Quod gibbam *iecoris* partem percuſſit, in illam
Non aliter potuit deſcendere, quam male laeſa

Septi tranſuerſi carnoſa parte. Sed id ſi
Accidit, exoritur duplicatum vulnus, et illa
Quamuis ſanari potuiſſet plaga, ſub ipſa
Septi tranſuerſi carnoſa parte ſtetiſſet
Si ferrum laedens: tamen illud, quo *iecur* ictum eſt,
Vulnus, ſcit fieri mortis certiſſima cauſſa.

XXIII.

Haud tamen eſſe ſolet vulnus diſcriminis expers
Xyphoidea quod ſub cartilagine ſterni eſt,
Defixum, pupugitque lobum mucrone ſiniſtrum
Hepatis. At, licet in limbo ſint *viſceris huius*
Vaſcula texturae longe ſubtilis, habere
Ne tamen vlla locum ſueſcit curatio, propter
Imbellem *iecoris* naturam, quae ſolet omni
Robore deſtitui fibrarum, muſculus omnis
Quo valeat ſummae naturae lege, neceſſe eſt.
Debilitas *iecoris* prohibet laxiſſima, quod non
Inter ſe poſſint vniri vulneris orae:
Hae ſi non coëunt, profuſio ſanguinis inde
Proueniet, valida non compeſcenda medela.

XXIV.

Maior noxa ſubeſt, ſi portarum ſinus, atque
Rami ſanguiferi, largitur quos caua vena,
*Hepatici*que tubi, quales arteria gignit
Praedita conſimili cognomine, vulnere quodam
Scinduntur. Verum, quum non ea vulnera propter
Imbellem *iecoris* ſtructuram rite coire
Inter ſe poſſint, hinc fluxu ſanguinis orto,
Vires momento tenuantur ſic, vt abinde
Redditus exſanguis moriatur, vulnere laeſus.
Nam *iecur* eſt viſcus, vaſorum copia maior
Cui ſolet eſſe u). Probat portarum maxima vena
Illud. Vaſorum confluxus iure meretur
Haec appellari, conſueſcens ſumere vaſa
Ex inteſtinis, ſtomacho, paruoque liene.

u) §. VII. XIII. et XVII.

XXV.

Eſt quoque mortiferum vulnus, quod fellea cyſtis
Accepit. Sed non ob flumen ſanguinis ortum
Lethalis fieri ſueſcit veſicula fellis.
Nam, vero te ſcire decet, non inde cruoris
Poſſe ſequi fluxum lethalem a vulnere, fellis
Folliculo illato, quia ſunt exilia vaſa,
Sint numeroſa licet, queis cyſtis fellea gaudet
Turgida bile, venit vaſis a cyſtide nomen
Iſtis, a medicis hinc cyſtica vaſa vocantur:
Mors tamen ex cauſſis certiſſima naſcitur illis
Fellis folliculo laeſo, quia vulnere facto
Effluit ex iſpa, mera bilis, cyſtide fellis.

XXVI.

Biles, in abdomen dum fit ſtillatio, mortem
Inuitat lentam, quia bilis flumine nullo
Amplius ingreditur duodenum, vt abinde reſurgant
Nauſea ventriculi, et deiecto roboris eius,
Omne cibi deſiderium, potusque voluptas
Ceſſent, turbetur chyli confectio longe
Vtilis, vt pareat nutritio corporis, atque
Inteſtinorum vis, et periſtaltica virtus
Deſinat, et veniat mors paulatina, neceſſe,
Namque ſequi mortem lentam conſueſcere, certum eſt,
Quando cauum ventris numeroſa bile grauatur,
Nempe, diu ſtans in ventris cauitate morando
Bilis, edax vitium ſibi contrahit, inque liquamen
Mutatur putre, quo vitiatur ſanguinis humor,
Redditur acre ſerum, concreſcit limpida lympha,
Corpus tabeſcit, mentis vigor aufugit omnis,
Hinc eneruatos tabo mors congelat artus.
Fellis folliculum pertundi a vulnere poſſe
Partibus intactis reliquis, quas poſſidet hepar
Omnes, folliculi fellis ſitus edocet ipſe:
Namque ſupra *iecoris* limbum veſicula fellis
Prominet, hanc lateris, ſatus ex abdomine, dextri,

Muſcu-

Muſculus omnigenus vario cognomine, rectus,
Obliquus, tranſuerſalis ſubſternere ſueſcunt.

XXVII.

Aſt, non ex ſolis his cauſſis *hepatis* exſtat
Vulnus mortiferum, quod ab illo vulnere valde,
Ductus biligeri, *iecoris* venoſaque vaſa
Laeduntur: Sed et ex illa ratione, quod illo,
Hepatici tubuli pulſantes, quos dare ſueſcit
Coeliaci vaſis ſalientis, in ordine ramus
Tertius, et nerui, quales cognomine plexus
Exhibet *hepaticus,* ſcinduntur, vulnere facto.
Vt, nam ſcire licet, ne partem corporis vllam
Solam pertundi: ſic nunquam laeditur *hepar*
Solum. Semper enim tali patiuntur ab ictu
Damna ſimul pulſu ſalientia vaſa, canales
Venarum, nerui molles, lymphatica vaſa.

XXVIII.

Vt *iecoris* vulnus variatur: ſic quoque mortis
Diſcrimen ſueſcit variari. Vel cita mors fit,
Vel fit lenta, tamen fit ineuitabilis vſque
Hepate percuſſo, et pertuſis ductibus *eius.*
Enecat anguſtum vulnus, mortemque profundum
vulnus ferre ſolet, lente ſtillando cruorem.
Nam quia non inter ſe poſſunt vulneris orae
Committi, ſequitur ſtillatio ſanguinis, aegrum
Quae lenta ſemper ſueſcit conſumere morte.

XXVIIII.

Hepate diſrupto per ſe, ſubitanea mors eſt.
Auctores perhibent: rupturas *hepatis* eſſe
Non plane abſurdas. Contingere poſſe, negare
Nemo poteſt *iecoris* rupturas, quae dare mortem
Conſueſcunt, *iecur* abſceſſu ſi forte laborat
Pure graui: Nam ſi pus ferri nititur extra,
Abſceſſu rupto, progigni vulnus oportet.
Hepatis internum, non apparentibus vllis
Exterius ſignis manifeſtis, non quoque viſis
Vllis indicibus, per quos vexata pateſcunt,

Quae cutis exterior prae ſe fert laeſa, vel ictu,
Vel cauſſis aliis in eam violenter adactis.

XXX.

Eſt etiam *iecoris* per ſe ſanabile vulnus v),
Sed quod mortiferum caſu, ſtudioque medentis
Eſt factum, quoniam neglectum quid fuit eius
In cura. Vulnus ſtudio lethale creatur,
Ac aegri culpa, neglecta lege diaetae.

v) §. XVIII. et XX.

XXXI.

Si gladio punctum non eſt *iecur*, attamen ictu
Sic laeſum, latus ad dextrum violenter adacto,
Vt vaſis inſit ſtagnans cruor, atque coactus,
Corpore diſſecto, vexatum cernitur *hepar*.

XXXII.

Hepar vexatum ſi, ſecto ventre, nigrorem
Exhibet, et ſphaceli ſi fert lethalia ſigna:
His, non ſeruari vitam potuiſſe, ſciendum eſt:
Nam propter venas exiles *hepatis*, anceps
Eſſe malum ſolet, et curatio plena pericli,
Illis ex cauſſis, cruor, extra vaſa, coactus
Dum ſtans in *iecoris* vexati viſcere, nullis
Auxiliis medicis, nullaque reſoluitur arte.
Vt, vexatorum *iecur* impatientius omni eſt
Viſcere; ſic, nihil ars, nihil et medicamine virtus,
Sanguinis ad grumos, quos in ſe continet *hepar*
Plaga vexatum, vult diſcutiendo valere.

XXXIII.

His poſitis pateſit: quod longe peſſima res ſit,
Si cruor in vaſis exilibus *hepatis* ire
Circuitu renuit ſic, inflammatio viſcus
Hepatis vt teneat, laedat, corrumpat, et angat.
Hic non diſcutitur, facili molimine morbus
Ob teneras venas, et ob imbecillia vaſa,
Quae requieſcentem nequeunt expellere ſuccum
E vaſis. Staſis hinc inflammatoria talis
Semper habere ſolet miſerae diſcrimina mortis.

XXXIV.

XXXIV.

Nauiget Antyceram, qui ſeſquipedalia verba
Proiicit, ampullasque vomit, nec dicere pallet:
Vulnera, felici, *iecoris* curata fuiſſe
Euentu maiora. Quis autem ferre valebit
Iudicium rectum *iecoris* de vulnere? quis de
Vulneris effectu poterit quid dicere veri?
Certe nemo, niſi qui, cultro funus apertum
Inſpicit. Ars ſolummodo democritaea docebit
Vulneris effectum, neque coniectura valebit
Qualiscunque. Patet: quod in his, ex vulnere quodam
Quos ex ſucceſſu curatos arte putarunt,
Ad iecur, haud vulnus deſcenderit vſque, ſed ictus
Dummodo ſubſtiterit, tali in pinguedine, quali
Muſculus impletur, tranſuerſus nomine dictus.
Poſſe tamen *iecoris* leuioribus arte mederi
Vulneribus x), nullus niſi captus mente negabit.
Vaſa ſuperficies habet exiliſſima: quare
Sint ea ſciſſa licet, quae per *iecur* vndique ſerpunt,
Subtilem lymphae laticem capientia vaſa:
Attamen anguſtum ſi vulnus, et eſt leue vulnus,
Non adeo laedi potuerunt plurima vaſa
Vulnere, quin ſinerent, effundi poſſe cruorem,
Et dulcis lymphae latices, cum morte ſequente.
Verum, ſcire iuuat: lymphatica maxima vaſa
Magnis vulneribus lacerata, ſolere necare.
Hinc ea ſimpliciter ſunt adnumeranda, vigore
Iuris, vulneribus lethalibus, haec quoque nullo
Excuſanda modo ſunt, iuxta ſcripta medentum.

x) §. XVIII. XX. et XXX.

XXXV.

Aſt, vbi communis, ductusque choledochus eſſe
Vulnere praeciſus ſolet, eſt lethale vocandum
Vulnus ſimpliciter. Prohibetur ab illo
Vulnere, ne fluat in duodenum, ſi caret illud
Bile, nequit fieri chylus, ſi lacteus humor

 Deſi-

Deficit, ipſa aberit nutritio, corpus vt inde
Incidat in lentam labem, mortemque, neceſſe eſt.

XXXVI.

Hepate pertuſo non mors enaſcitur vſque y),
Diſcrimen magnum datur inter vulnus, in *hepar*
Quod penetrare ſolet, iuſtoque profundius intrat,
Atque inter vulnus leue, quod ſolummodo tangit
Eſſe ſuperficiem *iecoris* z), ſed non ſolet illud
Poſterius vulnus iugulando perdere a). Nam dum
Vulnere non laedi potuerunt maxima vaſa b);
Namque ſuperficiem *iecoris* comitantia vaſa
Sunt minimi generis, ſunt exiliſſima longe c):
Nulla ſequi potuit profuſio larga cruoris d).
Accidit id: quando *iecoris* pars ſumma vel ima
Percutitur leuiter e). Valet excuſatio multum f),
His in vulneribus, valet et curatio multum g).

y) §. XVIII. XX. XXX. et XXXIIII. z) §. XVIII. a) §. XV. et XX. b) §. XVIII. c) §. XXXIIII. d) §. cit. et XX. e) §. citatis. f) §. XVIII. g) §. cit. et XX.

XXXVII.

Ex illis poſitis, manifeſtius arte peritis
Omnibus apparet: quod Coi non ſit vbique
Effatum verum, quod percuſſum *iecur* eſſe
Semper mortiferum conſueſcat. Opinio Coi
A vero multum diſcedit. Si tamen ille
Dixiſſet: Vulnus deſcendens altius aequo h)
In *iecur*, eſſe malum, lethaleque, leneque vulnus
Contra, vel partem contingens *hepatis* imam
Vel ſummam leuiter, nunquam lethale putari i)
Poſſe, niſi cui mors caſu contingere ſueuit:
Sic, diui medici ſententia lata valeret.

h) §. XVI. i) §. XX.

XXXVIII.

Haec ſint *de iecoris lethali vulnere* dicta.